



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

Dispvatio X. De inefficacia veterum sacramentorum ad gratiam
conferendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

fuit opinio: quidam enim dixerunt quod per circumcisionem non conferebatur gratia, sed solum auferebatur peccati. Sed hoc non potest esse, quia homo non iustificatur à peccato, nisi per gratiam, secundum illud Rom. 3. Iustificati gratia per gratiam ipsius. Et ideo alij dixerunt, quod per circumcisionem conferebatur gratia, quantum ad effectum remotionis culpa, sed non quantum ad effectum positivum gratiae. Sed hoc etiam videtur esse falsum, quia per circumcisionem dabatur pueri facultas perueniendi ad gloriam, quae est vltimus effectus positivus gratiae. Et praeterea, secundum ordinem causae formalis, priores sunt naturae aliter effectus positivum quam privatum, licet secundum ordinem causae materialis, sit e converso: forma enim non excludit privationem, nisi in formando subiectum. Et ideo alij dicunt, quod circumciso conferebat gratiam, quantum ad aliquem effectum positivum qui est facere dignam vitam aeternam, non tamen quantum ad hoc quod est reprimere concupiscentiam impellentem ad peccandum. Quod & aliquando mihi visum est, sed diligenter consideranti apparet hoc etiam non esse verum: quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, & mereri vitam aeternam. Et ideo melius dicendum videtur, quod circumcisio sicut & alia sacramenta veteris legis, erat solum signum fidei iustificantis. Unde Apostolus dicit Rom. 4. quod Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum iustitiae fidei. Et ideo in circumcisione conferebatur gratia, in quantum erat signum passionis Christi futurae, ut infra patebit.

97 art. 4.

COMMENTARIUS.

Quoniam D. Thom. tantum videatur loqui de sacramentis legis scripturae, quae proprie dicitur lex vetus, tamen si dicatur articuli, & solutio ad quartum considerentur, responsio eius vniuersalis est de omnibus sacramentis, quae ante Christi aduentum fuerunt, & in lege naturae, quam in veteri. Ratio D. Th. est, quia illa omnia nitebantur in Christo venturo & illi promittebantur, ac praefigurabant, & ideo non coniungebantur illi, ut instrumenta eius: Quia sicut causa efficiens non operatur antequam sit, ita etiam non vtitur aliquo reali instrumento ad efficiendum: solum ergo erant signa. Quae ratio eandem vim habet, in omnibus praeteritis sacramentis, atque ita in solutione ad quartum ab absolute extendit D. Thom. hanc conclusionem, etiam ad circumcisionem. Quae omnia in sequenti disputatione examinabuntur amplius & declarabuntur.

DISPUTATIO X.

De inefficacia veterum sacramentorum ad gratiam conferendam.

Sub hoc titulo, ut paulo antea dixi, comprehendo omnia sacramenta, quae ante Christi aduentum fuerunt. Quoniam vero in eis specialis ratio ac difficultas est, de sacramento circumcisionis, ac de illo, quod in remedium peccati originalis fuit in lege naturae, ideo prius de his specialiter dicemus, postea generatim de reliquis omnibus sacramentis illius temporis.

SECTIO I.

Utrum in circumcisione, vel sacramento legis naturae data sit gratia sanctificans praeter meritum operantis.

D. Thom.

Ratio difficultatis est, quia D. Thom. absolute negat, per sacramenta vetera datam esse gratiam iustificantem: & eodem modo loquuntur antiqui Patres, quos infra referemus saepe. Vt, huius disputatio, sed eadem est ratio de sacramento legis naturae, vel circumcisione, quae legem antecessit: quia etiam haec respiciebant Christum venturum, cuius sola fides vna prodesse nunc poterat: ergo,

In contrarium vero est, quia in his sacramentis remittebatur originale peccatum, sed non remittitur sine gratia, ergo necesse est, ut in eis data fuerit gratia.

In hac quaestione varij possunt esse opinandi modi: primus est, in circumcisione remissum fuisse originale peccatum, non vero fuisse datam gratiam. Haec fuit opinio Magist. in 4. d. 1. circa fin. & Gloss. in c. Quod autem, de Consecr. d. 4. vbi significat, in circumcisione solum penam fuisse remissam. Sed haec sententia repugnat manifeste principiis fidei: & ideo merito ab omnibus Scholasticis reiecta est. Nam manente culpa mortali, vel originali, non potest aeterna poena remitti: quia inimicus Dei non potest non carere visione eius: rursus originalis culpa non remittitur sine infusione gratiae: quia non remittitur, nisi per veram iustificationem, ut tradit Conc. Trident. sess. 6. & in materia de iustificatione latius traditur. Peccatum enim originale, sicut & mortale, includit privationem gratiae, & ideo non remittitur sine infusione eius. Item, quia de facto in homine non datur medium inter statum amicitiae: & inimicitiae diuinae, sed is, cui remittitur originale peccatum, non manet inimicus: ergo fit amicus Dei, ergo infunditur ei gratia & charitas, in quibus amicitia Dei consistit.

Atque ex eisdem principiis & rationibus, reiecta est ab omnibus Theologis secunda sententia aliorum dicentium, datam fuisse in circumcisione gratiam, quoad effectum priuatiuum, non quoad positivum. Quae opinio per effectum priuatiuum intellexisse videtur carentiam culpa: aut reatus poenae: per positivum vero, aut amicitiam diuinam, aut acceptationem ad gloriam, vel in eam animae renouationem & sanctificationem. Unde intelligitur, hanc sententiam fere nihil praecedere differre, nec minus cum veris principiis fidei repugnare. Primo quidem, quia gratia, per quam peccatum remittitur, non est tantum extrinsecus actus diuinae voluntatis remittentis peccatum, vel acceptantis hominem ad gloriam, in quo possunt illi effectus aliquo modo distingui, sed est intrinsecum donum animae infusum, quo a statu peccati ad statum gratiae & ad optionis filiorum Dei homo transferitur, ut dicitur in Conc. Trident. sess. 6. c. 34. & sequentibus: impossibile autem est hanc gratiam animae infundi & carere suo effectu positivo, ergo si peccatum originale remittebatur in circumcisione, in ea infundebatur huiusmodi gratia, ergo perfectiebat positivae animae efficiendo illam proportionatam ad gloriam & supernaturalia opera, & dando ius illi ad hereditatem gloriae, atque adeo constituendo hominem amicum & acceptum ad gloriam. Denique cum ratio culpa in priuatione consistat, illius exclusio non tam habet rationem effectus priuatiui, quam positivus, sicut expellere tenebras magis consistit in effectu positivo luminis, quam in priuatione.

Tertia sententia est, in circumcisione fuisse datam gratiam, quae sufficeret ad remittendam culpam, non tamen quantum ad vim & efficaciam reprimendi & superandi concupiscentiam & merendi vitam aeternam. Quam sententiam tenuit D. Thom. in 4. d. 1. q. 2. art. 5. quaestione 3. significat Bonauer. ibi qu. vlt. dicens, illam gratiam non valuisse ad profectum. Hanc vero sententiam contexit D. Thom. hic ad 3. & infra. q. 70. art. 4. & merito: quia quaelibet gratia quantumuis minima constituit hominem Deo gratum: hoc enim non habet rationem intentionis, sed rationem suae essentiae: & ideo de se est sufficiens principium merendi gloriam. Rursus talis gratia semper habet adiunctam secum charitatem, quae est diuina amicitia, quae Deum habet pro vltimo fine, eumque super omnia diligit, & ideo de se sufficiens est ad superandam concupiscentiam: quia amor Dei ex se est fortior & potentior omnibus. & ideo dicitur 1. Ioan. 3. *Omnia*

2. Sententia

Magist. Glossa.

Conc. Trident.

3. Sententia

Conc. Trident.

3. Sententia

D. Thom. Bonauer.

1. Ioan. 3. *Omnia*

Omnis, qui in eo manet, non peccat, & Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est. Hoc enim semen est gratia Dei, quam si homo seruare velit, atque eius inclinationem & efficaciam sequi, non peccabit, & ideo dicit Ioan. in eadem Canonica, c. 4. Vos ex Deo estis filii, & viciuistis eum, quoniam maior est, qui in vobis est, quam, qui in mundo: Est ergo quae cumque gratia de se efficax ad vincenda peccata & superandas concupiscentias: praesertim, quia semper habet adiunctum auxilium Dei sufficiens ad suum finem consequendum. Praeterea ad praesentem quaestionem nihil refert, quod illa gratia data in circumcissione: fuerit magna, aut parua, sed simpliciter, an data fuerit gratia: quoniam si quae sunt testimonia, quae videntur significare, non fuisse datam gratiam per circumcissionem, non loquuntur de magna, aut de parua gratia, sed simpliciter de gratia. Item, quia siue magna, siue parua fuerit, non potuit dari, nisi per Christum venturum: ergo eadem difficultas erit in gratia minima, quo modo dari poterit per circumcissionem, cum nondum essent exhibita merita Christi.

panant.

Quarta ergo sententia esse potest, in circumcissione per se nullum spirituale fructum fuisse collatum homini ultra illud, quod respondebat fidei & merito operantis: atque adeo in circumcissione secundum se nec gratiam fuisse collatam, nec originale peccatum fuisse remissum, sed fuisse solum signum fidei iustificantis. In hanc sententiam videtur inclinare D. Th. hic ad 3. vbi in hoc aequiparat circumcissionem alijs sacramentis legalibus & simpliciter dicit, tantum fuisse signum fidei iustificantis: & idem docet q. 70. ar. 4. quoniam postea dicit in circumcissione fuisse collatam gratiam, & ideo difficile est mentem D. Tho. explicare, & eorum, qui illum sequuntur, vt videlicet in Capreo. Soto & alijs in 4. & in Bellar. lib. 2. de sacram. 13. & sequentibus, vbi constanter hanc sententiam defendit, ita vt sentire videatur, seculo merito recipientis, nullum spirituale fructum in circumcissione fuisse collatum. Quod confirmat varijs scripturae testimonijs, ex quibus aliqua sunt generalia de omnibus veteribus sacramentis, quae egea & infirma in scriptura dicuntur, sub quibus circumcisio etiam comprehenditur, vt sectione seq. dicam. Alia sunt specialia de circumcissione, qualia sunt ea, in quibus significatur circumcissionem non fuisse institutam, propter dandum spirituale iustitiae fructum, vt est illud ad Ro. 3. Quid ergo amplius iudaeo est? aut quae vtilitas circumcissionis? &c. Sed haec iam sunt à nobis tractata & explicata. Illa vero difficiliora videntur, in quibus Paul. ait, Circumcisio nihil est & praepitium nihil est, vt ad Cor. 7. & illud ad Gal. 6. Neque circumcisio aliquid valet nec praepitium sed noua creatura. Et ad Col. 2. & ad Philip. 3. significat Paulus, nihil in circumcissione fuisse, nisi exteriori illam carnis amputationem. Et ad hoc propositum afferri possunt omnes Patres Graeci, quos supra retulimus agentes de fine circumcissionis.

Caprol. hoc. Bellar.

Hanc vero sententiam, sic absolute prolatam, à nobis exposita est, quidam, vt falsam, alij etiam, à temerariam rejciunt, vt pote omnibus Scholasticis contrariam. Sed vt mens dictorum auctorum & rei veritas intelligatur, aduertendum est, varijs modis posse intelligi hanc sententiam. Primo, ante Christi aduentum nulli hominum fuisse gratiam collatam, aut remissum peccatum, nisi per propria ipsius hominis fidei, ac dispositionem de se sufficientem ad obtinendam gratiam, & expellendum peccatum. Quae sententia de adultis quidem probabilis est, vt postea dicam: tamen si in vniuersum tam de paruulis, quam de adultis intelligatur, erit valde temeraria, quia ex illa sequitur, tam in lege naturae, quàm Moysis omnes infantes fuisse relictos sine remedio origin alis peccati, atque adeo omnes, qui mortui sunt ante vsum rationis, da-

Hinc sententia contra.

Alex. Scot. Gabr. Palud. Paruulis ante vsum rationis fuisse datum in circumcissione

Franc. Suarez Tom. 3.

mnatos fuisse. Quod impium est sentire, & contra communem Ecclesiae traditionem, & sensum, vt supra probatum est: tamen in hoc sensu à nullo praedictorum auctorum haec sententia asseritur.

Secundo ergo intelligi potest, ante Christi aduentum nullum fuisse institutum externum remedium seu sensibile signum, in quo alicui daretur gratia vel remedium peccati, praeter meritum vel sufficientem dispositionem eius, sed remedium originalis peccati fuisse eo tempore mere internum, positumque fuisse in sola interiore fide, vel ipsiusmet hominis, cui remittebatur peccatum, si erat capax eius, vel alterius, sub cuius erat cura, & potestate, si erat parquus. Et in hoc sensu sententia haec, quoad tempus legis naturae, est quidem minus probabilis, non tamen temeraria, neque omnino improbabilis, vt in superioribus diximus. Quoad circumcissionem vero videtur maiori celsura digna, propter auctoritatem Augustini, Gregorij & aliorum, quos supra retuli, & praesertim propter auctoritatem Innocentij in c. Maiores, de Baptismo: dicentis, quod originalis culpa remittebatur per circumcissionis mysterium. Nihilominus, quamuis etiam in hoc sensu falsa sit haec opinio: non tamen videtur nota temeritatis digna: tum quia plura Sanctorum testimonia illi fauere videntur, tum etiam, quia licet haec sententia asserat externum signum legis naturae, vel circumcissionis non fuisse necessarium ad applicandum paruulis remedium originalis peccati, non tamen negabit, quin si simul cum fide interna hoc signum exhiberetur, daretur statim gratia, & remissio originalis peccati, quoniam à conuerso solum externum signum sine fide non sufficeret ad dictum effectum: & aliunde sola fides interior posset iuxta hanc opinionem sufficere sine exteriori signo. Vnde, cum dicunt Sancti aliqui, per circumcissionem remissum fuisse originale peccatum, explicandi essent iuxta hanc sententiam, id intelligendum esse, ratione fidei, vel etiam, nisi iam esset remissum per fidem, sicut de adultis postea dicemus. Sed praedicti auctores, non in hoc sensu asserunt praedictam sententiam, saltem quoad circumcissionem.

August. Gregor. Innocent.

Tertio ergo modo intelligi potest, in circumcissione ne [& idem est proportione seruata de signo externo legis naturae] in circumcissione [inquam] datam esse gratiam, & peccatum originale remissum, atque ad hunc spirituale fructum consequendum necessarium fuisse externum signum, seu circumcissionem, non tamen sine fide interiori, Ecclesiae vel ministri, neque à contrario fidem internam suffecisse sine tali signo externo: effectum autem gratiae fuisse tribuendum interiori fidei, vt propriae causae, externum autem signum tantum fuisse conditionem, sine qua non. Et hoc sensu est illa opinio non solum nulla censura digna, sed etiam probabilis, nam sine dubio probabile est, hunc fuisse sensum Diui Thomae, quem ita explicat & sequitur Cano relect. de sacramento p. 5. & Bellarmin. supra capite 15. in fine, & huius sententiae etiam videntur fuisse Bonauentura, Richard. & Durand. cum quibus disputabimus sectione sequenti.

Quomodo sit probabile ista sententia.

Quinta sententia est, in circumcissione per se ac semper datam fuisse gratiam, per hoc solum, quod signum externum adhiberetur, ita tenet Alex. Alen. 4. p. qu. 5. m. 3. & q. 7. m. 5. art. 1. & 2. Scot. Gab. Palud. sectio. sequenti citandi.

Alex. Scot. Gabr. Palud. Paruulis ante vsum rationis fuisse datum in circumcissione

In hac re mihi videtur distinguendum inter paruulos & adultos, & dicendum primo, applicata circumcissione, seu exteriori sacramento legis naturae, paruulis ante vsum rationis datam eis fuisse gratiam & remissionem peccati originalis. Huius conclusio nis fundamentum sumendum est ex dictis supra de sacramento legis naturae, & de institutione circumcissionis, vbi ostendimus, nunquam fuisse remissum originale peccatum sine exteriori signo protestationis fidei: ostendimus etiam, hoc signum, quod prius



fuit indifferens, in lege Moysis determinatum fuisse pro masculis, quoad circumcisionem: si ergo hoc signum externum necessarium fuit ad remissionem originalis peccati, oportuit, vt illo adhibito tolleretur peccatum originale, & daretur gratia.

Ad pueri sanctificationem non fuisse necessarium fuisse parentem.

Dico secundo, probabilius est ipsum signum externum circumcisionis fuisse sufficiens, vt illo applicato daretur gratia paruulis, etiam si sine fide parentis, aut ministri, siue hominis conferentis sacramentum applicaretur. Hanc conclusionem ponit expresse Alex. Alenf. supra Palud. in 4. d. 1. q. 5. art. 5. & idem sentiunt Sco. & alij nuper citati, & probatur primo, ex Aug. lib. 1. contra Cresconium c. 31. vbi & qui parat circumcisionem in hoc cum Baptismo, quod data à ministro infideli, non magis erat postea iteranda, quam nunc sit, iterandus Baptismus datus ab Hæretico: ergo sicut nunc talis Baptismus est sufficiens remedium originalis peccati, ita & illa circumcisio.

Secundo, quia Baptismus applicatus à ministro infideli est sufficiens remedium peccati, vt infra probabimus: ergo & circumcisio. Probatur consequentia primo, quia differentia, quæ in hoc ab alijs assignatur nulla auctoritate, vel probabili fundamento nititur, & alias Patres simpliciter affirmant: circumcisionem fuisse institutam in remedium peccati originalis, cui postea Baptismus succedit: ergo quod sufficiebat ad veram circumcisionem, id est, vt esset verum sacramentum, sufficiebat etiam, vt esset remedium peccati, sicut de Baptismo constat. Secundo, quia sicut paruuli ante Christi aduentum dicuntur iustificati in fide parentum, ita etiam nunc in lege gratiæ, vt loquitur Iustinus Martyr. q. 56. ad Orthodox. & Aug. lib. 1. de pecca. meri. c. 2. & libr. de ver. & fals. poen. c. 2. & epistola 23. & 107. ergo sicut hoc posterius est intelligendum de fide (vt ita dicam) obiectiua cum exteriori eius professione, non de propria & interna fide ipsius ministri seu parentis, ita etiam erit illud intelligendum. Tertio, quia omnes rationes, quibus infra q. 64. probabimus malitiam vel heresim ministri non impedire veritatem sacramenti, nec effectum eius: fere eodem modo possunt circumcisioni applicari. Præsertim, quia alias remedium originalis peccati esset valde incertum, & sæpe esset iterandum. Tandem argumentor, quia vel fides ministri esset necessaria, vt daretur gratia paruulo propter meritum de condigno vel de congruo ipsius ministri: & hoc non: tum, quia nullus hominum præter Christum, meretur alteri primam gratiam habitualem immediate, & sine vlla dispositione recipientis, vt etiam in superioribus dictum est, tum etiam, quia alias non quæcumq; fides, sed viuæ, & charitate formata, esset necessaria ad huiusmodi effectum, quod est satis absurdum. Vel illa fides postularetur à Deo, vt conditio necessaria simul cum opere externo, & hoc, licet à Deo fieri potuerit: gratis tamen & sine fundamento dicitur factum: quia non constat promissionem esse factam fidei, sed signo externo, iuxta illud, Anima cuius præputij caro circumcisa non fuerit, &c. Ex quibus verbis sumi etiã potest aliud argumentum: nam ad veritatem illius sacramenti, & vt esset impletum præceptum illis verbis contentum, non erat necessaria fides ministri: ergo neque erat necessaria, vt in illo sacramento daretur gratia, non existente obice in recipiente. Tandem, quia cum hæc gratia non daretur propter meritum hominis applicantis sacramentum, non expediebat, vt ab eius fide penderet.

Obiectio.

Epiph. Ambros. Orig.

Sed contra, nam multæ Gentes vtebantur circumcisione, quæ erant impiæ & infideles, vt late refert Epiph. Hæc. 30. Ambr. ep. 77. Orig. lib. 2. in ad Roma. cir. h. ca. 3. & lib. 5. contra Cels. post medium, quæ tamen Gentes non consequantur gratiam, solum quia sine fide vtebantur nuda exteriori cæremonia, ergo. Præterea, de sacramento legis naturæ est speciale argumentum, quia cum non haberet specialem cæremoniam institutione Dei definitam, vt signum

exterior applicatum haberet rationem sacræ cæremonia, oportebat, per fidem conferentis determinari, ad significandum veri Dei cultum, & paruuli sanctificationem & oblationem vero Deo factam: ergo hac ratione erat tunc necessaria fides veri ministri. Respondetur ad priorem partem, sicut in nostris sacramentis, ita & in circumcisione distingui posse fidem ministri ab intentione faciendi sacramentum à Deo institutum, nam licet fides non esset necessaria, intentio tamen necessaria fuisse videtur ad veritatem sacramenti, quia quoad hoc eadem est ratio de illo, & de nostris sacramentis, vt postea videbimus. Vnde colligitur, fuisse etiam intentionem illam necessariam, vt datur gratia sub illa cæremonia externa, quia non dabatur in illa, nisi, vt habebat rationem sacramenti, & religiose cæremonia pertinetis ad Dei cultum. Quocirca de illis Gentibus, quæ extra Dei populum vtebantur circumcisione, dicendum est, quod si id faciebant sub prædicta intentione, etiam si alias essent infideles, poterant infantes illarum Nationum in illa circumcisione iustificari, & remedium originalis peccati consequi: sicut nunc omnes Gentes, quæ vtuntur Baptismo, debito ritu, & sub intentione faciendi, quod Christus instituit, iustificari paruulos suos, etiam aliqui versentur in infidelitate aliqua, aut Hæresi, vel schismate: poterant autem illæ Gentes habere hanc intentionem, saltem sub ratione valde confusa & generali, nimirum intendendo facere, quod Deus instituit, aut imitari Abraham seu populum Iudeorum, aut intendendo sanctificare paruulos suos, aut dicere & consecrare illos Deo, vel aliquid simile: & probabile est fere semper habuisse aliquam intentionem huiusmodi, quia sine illa, non erat alia cæremonia per se expetibilis, aut ad aliquid aliud utilis.

Responsio.

Sed querer aliquis obiter, si verum est, hanc intentionem fuisse necessariam, quid esset Iudæo faciendum, si contingeret puerum circumcidi sine intentione debita, nam illa cæremonia exterior circumcisionis non poterat iterari, sicut nunc potest repeti exterior cæremonia Baptismi, quando sine debita intentione facta est: quod ergo remedium esset nunc applicandum illi paruulo? Aliquis fortasse diceret, iterandam fuisse exteriorè cæremoniam circumcisionis, aliquid amplius illius pelliculæ abscindendo, verum simile enim est, nunquam fieri tam exactam ac præcisam circumcisionem, quin possit magis perfici. Vel etiam dici potest, in eo casu educendum esse præputium, vt iterum fieret circumcisio. Quod enim post semel factam circumcisionem, iterum posset arte fieri, aut superinduci præputium, multi colligunt ex illis verbis Pauli 1. ad Cor. 7. Circumcisus aliquis vocatus est, non adducat præputium, vt ibi notat Gagneus ex Epiphano, Theophylacto & Photio, Graecis. Sed quid quid sit de sensu huius loci, tamen quod ad præsens attinet, improbabilis est ista responsio. Quis enim obligaret Iudæum ad vtendum huiusmodi arte? nullo enim fundamento id affirmari potest, neque ex lege Dei colligitur. Nec etiam prior responsio mihi probatur, quia est voluntaria & sine fundamento.

An effectus circumcisionis si sine intentione fuerit.

Gagneus. Epiph. Theoph. Photio.

Dico igitur, in eo casu non esse iterandam circumcisionem. Quia illa [vt ita dicam] non consistebat tantum in fieri, sed etiam in facto esse. Et ideo licet contingeret non fieri debito modo, ex intentione applicantis illam, tamen si in re ipsa sufficienter fiebat, reuera manebat facta, quoad externum effectum seu characterem sensibilem: & ita illa lex quoad substantiam eius, manebat in eo nomine impleta: & imo non erat, quod repeteretur: maxime cum moraliter esset impossibile: tunc ergo, si in priori circumcisione, non erat applicatum sufficiens remedium peccati, ex defectu intentionis, suppleri poterat, atq; supplendum erat quodlibet alio signo externo, protestatio fidei, seu sacramento legis naturæ, sicut in superioribus diximus.

Responsio tur querentium.

simus faciendum esse in alijs euentibus, quando non poterat applicari circumcisio.

Ad aliam partem difficultatis proposita: respondetur: Primo, quamuis in lege naturae non esset determinatum certum signum in remedio paruulorum ex iure diuino: tamen in vnoquoque populo potuisse publica auctoritate determinari, qua determinatione facta, poterat etiam applicari tale signum ab aliquo non habente veram fidem, vel cognitionem Dei, ex intentione faciendi, quod ille populus fidelis faciebat, seu intentione offerendi paruulum illum illi Deo, quem talis populus colebat, vel quem parentes eius coluerunt. Quinimo, quamuis signum non esset ab aliqua republica definitum, sed determinandum esset voluntate & arbitrio ipsius ministri, adhuc posset ab eo determinari, & sufficienti intentione, & sine vera fide, vt si haberet praedictam intentionem offerendi paruulum illum vero Deo creatori omnium, seu Deo, quem coluerunt patres eius, de quo posset is, quicquid applicaret sacramentum, quia haberet veram fidem, sed aut nullam, aut certe solum humanam, & multis erroribus admistam. Itaque nec in lege naturae videtur simpliciter fuisse necessaria fides ministri ad veritatem sacramenti. Quamuis moraliter loquendo, vix posset sine illa fieri sacramentum, non quia in illa niteretur veritas sacramenti, sed quia sine illa vix poterat tunc haberi sufficiens intentio faciendi sacramentum, supposita autem veritate sacramenti, vt in eo daretur gratia, non magis erat necessaria fides ministri, quam in circumcisione, quia quoad hoc est eadem ratio, vt ex dictis patet.

In circum-
disi-ne non
datur
gratia ad-
uultu sine
fide, &c.

Dico tertio, In circumcisione non dabatur gratia adultis, nisi habentibus fidem & dilectionem Dei, seu contritionem peccatorum: & idem sentiendum est a fortiori de sacramento legis naturae. Hanc assertionem docuit Cano in relectio. de sacramen. p. 5. Soto vero in 4. d. 2. q. 1. artic. 4. ad 5. eam admittit in sacramento legis naturae, non autem in circumcisione. Probat ergo primo de sacramento legis naturae, quia illud tempus per se non erat accommodatum, vt in eo daretur gratia ex opere operato ultra meritum & dispositionem operantis, quia merita Christi nondum erant exhibitae: ergo non est afferendum, alicuiam gratiam fuisse hoc modo tunc datam, nisi quam necessitas humani generis lapsi omnino requirit, & sine qua videretur diuina prouidentia homini in necessarijs defuisse: praesertim cum nulla certa auctoritate constet, gratiam fuisse sic datam illo tempore, sed solum ex ratione diuinæ prouidentiae colligenda sit: at vero haec ratio & necessitas solum habet locum in paruulis: nam adulti, cum possint se sufficienter ad primam gratiam disponere, non erant in eo articulo necessitatis constituti: ergo non est, cur asseramus illis fuisse remissum peccatum, aut datam gratiam in sacramento legis naturae, sine dispositione per se sufficienti. Et confirmatur primo, nam reddere hominem ex attrito contritum per infusionem gratiae & charitatis habitualis absque conaturali dispositione, est vnus ex potissimis effectibus sacramentorum nouae legis, adeo excellens & supra naturas rerum, vt multis visum sit, etiam in lege naturae, nunquam remitti hoc modo peccatum: ergo non est verisimile, hoc beneficium fuisse concessum hominibus in lege naturae. Et confirmatur secundo, quia, si ad remissionem peccati originalis, habebant adulti huiusmodi remedia, quibus possent fieri ex attritis contriti, cur non dicemus habuisse simile remedium, ad remissionem peccati mortalis commissi, post primam gratiam semel consequutam? cum non sit minus necessaria ad salutem remissio huius peccati, quam illius, nec sit minus difficilis dispositio ad remissionem huius, quam illius. Atque haec rationes aequae in circumcisione procedunt, praesertim quam supra ostensum sit, circumcisioni, non esse ad-

Franc. Suarez Tom. 3.

ditam virtutem aliquam spirituales, nec specialem promissionem gratiae, sed solum subijisse locum sacramenti legis naturae & remedij originalis peccati, quatenus illud, quod indifferens erat in lege naturae, determinatum fuit ad talem ceremoniam in illo populo. Quod saltem probant testimonia Pauli in secunda sententia adducta, vt latius infra videbimus sectione 3. Et confirmatur, quia licet Abraham fuerit circumcisus, non fuit in illa circumcisione iustificatus ultra meritum suae fidei & obedientiae, vt aperte docent omnes Patres superius citati, disputatione 5. sectione 1. & non obscure colligitur ex Paulo ad Roman. 4. vbi hoc sensu dicit, Abraham non fuisse iustificatum in circumcisione, sed ex fide: accepisse autem circumcisorem, in signum & signaculum iustitiae fidei. Ergo neque alijs adultis dabatur gratia in circumcisione ultra meritum & dispositionem eorum. Respondet Scotus in 4. d. 1. quaest. 6. circumcisorem potuisse augere gratiam adultorum ex opere operato, vsque ad certum gradum, non tamen ultra illum: & quia in Abraham inuenit excellentem gratiam, quae illum gradum vel attingeret vel superaret, ideo nihil illi contulisse praeter meritum operantis. Sed haec responsio & voluntaria est, & parum rationi consentanea: quia sacramenta quae possunt conferre alicui gradum gratiae, non impediuntur in suo effectu propter insignem sanctitatem recipientis: nam cum illa sit melior dispositio ad sacramentum, non debet impedire effectum sacramenti. Item, quia gratia viatoris de se semper augeri potest, & ex parte sacramenti non potest deesse virtus ad augendam illam, si ad hoc institutum sit, quia operatur vt instrumentum Dei, vel saltem Deus operatur ad praesentiam eius: virtus autem diuina potest adiungere gradum gratiae etiam secundum legem ordinariam cuiuscunque gratiae viatoris, quantumvis intensa, & ideo gratia Virginis aucta fuit per Baptismum: quamuis magis excelleret communem gratiam Baptismalem, quam gratia Abrahæ gratiam circumcisiois superaret: si ergo Abrahæ in circumcisione non fuit datum augmentum gratiae ultra eius meritum, certum videtur, neq. alijs adultis fuisse hoc modo datum augmentum gratiae quando contingebat, eos circumcidi iam iustificatos per viuam fidem, quamuis non sit dubium, quin mererentur augmentum gratiae per circumcisorem, vt erat opus hominis iusti ex virtute & obedientia procedens: ergo aequae etiam certum est, non dedisse primam gratiam adultis, nisi per contritionem dispositis, nec ratione circumcisiois fuisse datam maiorem primam gratiam, quam ipsi contritioni responderet. Patet consequentia, quia eadem vel maior ratio est de augmento, quae de prima gratia: nam magis debitum est iusto augmentum gratiae, quam peccatori disposito prima gratia. Vnde etiam in lege gratiae nullum est sacramentum potens conferre primam gratiam, & efficere hominem de attrito contritum, quod non melius possit augere gratiam, si subiectum iam iustificatum inuenit.

Contra hanc vero conclusionem obijci potest primo, quod grauiores Theologi doceant, per circumcisorem remissa esse adultis, non tantum peccatum originale, sed etiam actualia, ita docent D. Thom. infra q. 70. art. 4. ad 5. & in 4. d. 1. q. 2. art. 4. quaestiuicula 2. ad 4. & ibi Richar. art. 6. q. 3. Dur. q. 7. ad 2. Palud. q. 5. art. 4. conclus. 2. non poterant autem in circumcisione remitti peccata, nisi in ea daretur prima gratia, per quam remittuntur peccata: ergo oportebat, vt in circumcisione homo fieret ex attrito contritus, nam si semper supponenda esset contritio, semper essent ante circumcisorem remissa peccata: nunquam ergo in ipsa circumcisione remitterentur adultis. Et confirmatur, nam alias sequitur, respectu adultorum non fuisse circumcisorem vel sacramentum legis naturae instituta in remedium originalis peccati:

I 3 quia

Obiectio
Scoti.

Solutio.

In circum-
cisioe non
datur
adulto
prima gra-
tia maior,
quam ipsi
contritio-
ni respon-
deret.
Obiectio.

quia de ratione huiusmodi remedij est, vt per illud, vel in illo, possit remitti peccatum: nam, si semper supponendum esset peccatum remissum, nullius vilitatis vel momenti esset tale remedium. Vnde vltimius sit, circumcisionem vel sacramentum legis naturae respectu adultorum non habuisse rationem sacramenti, sed solum cuiusdam professionis fidei, vel religiosae caeremoniae meritoriae ex opere operantis: quia non aliter erant signa gratiae.

Responsio.

Respondetur ad primam difficultatem, in primis D. Thom. nunquam docuisse in hac 3. parte per circumcisionem remissa fuisse peccata actualia, sed verba eius sunt. Adultus, quando circumcidebatur, consequentur remissionem, non solum originalis peccati, sed etiam actualium peccatorum. Quae verba vera sunt: intelligenda sunt tamen, dummodo adultus, qui circumcidebatur, accederet dispositus ad remissionem peccatorum consequendam. Poterat enim haec dispositio simul cum circumcisione concurrere, & hoc erat, vt minimum, necessarium, ac sufficiens, vt in circumcisione daretur gratia: quod vero aliquando antecederet contritio & prima gratia, est accidentarium. Vnde ad primam confirmationem primo concedi posset, circumcisionem (& idem est de sacramento legis naturae) respectu adultorum non fuisse proprie remedium peccati, sed solum signum externum remedij peccati, quod erat internum in fide & contritione consistens. Secundo facilius magisque iuxta communem loquendi modum negatur sequela: potest enim circumcisio fuisse etiam adultis remedium, ad remissionem originalis peccati obtinendam, vt conditio necessaria, sine qua ille effectus non daretur: voluit enim Deus omnes, etiam adultos, signo aliquo externo profiteri suam fidem & deuotionem internam, vt remissionem originalis peccati consequi possent: & ideo sine tali signo vel in re exhibitio, vel in voto concepto, non poterat remitti originale peccatum: & hoc satis est, vt dicatur remedium illius. Ex quo patet solutio ad alteram partem de sacramento: simpliciter enim negatur sequela. Primo quidem, quia circumcisio non tantum erat sacramentum propter gratiam praesentem, quae in illa dabatur & significabatur, sed etiam propter alia mysteria, vt supra dictum est, & consistat de circumcisione, quae data fuit Abrahae in persona eius. Secundo quia, vt Scotus supra dicit, ad rationem sacramenti satis est, quod significet gratiam, quae in ipso datur per se loquendo, id est, si non sit obex in subiecto: vel quae subiecto inest, etiam si prius accepta sit, praesertim si data fuit cum ordine ad tale sacramentum, atque hoc modo circumcisio data adulto significabat iustitiam eius, siue illa tunc fieret, quia subiectum nec antea disposuerat, nec tunc ponebat obicem, siue prius esset facta & accepta per dispositionem sufficientem cum ordine ad tale sacramentum.

SECTIO II.

Vtrum circumcisio, vel sacramentum legis naturae conferret gratiam ex opere operato.

Haec quaestio praecipue habet locum in iustificatione paruulorum: nam in adultis in nostra opinione non habet difficultatem: diximus enim illis non fuisse datam gratiam nisi contritis, vel diligentibus Deum super omnia: in paruulis vero habet difficultatem: quia dabatur eis gratia sine eorum actu, & ideo Theologi varie loquuntur. Prima ergo sententia fuit Palud. in 4. dist. 1. q. 5. art. 4. qui duplicem distinguit modum causalitatis ex opere operato: vnum per causalitatem physicam: alterum, per modum conditionis, ad cuius praesentiam infallibiliter confertur gratia. Dicit ergo, circumcisionem & sacramentum legis naturae dedisse gratiam ex opere operato, diuerso tamen modo: nam circumcisio physice, sicut sacramenta nouae legis, gratiam confere-

bat: sacramentum autem legis naturae solum per modum conditionis requiritur. Haec vero opinio, *Resiliens* quoad priorem partem de causalitate physica circumcisionis, neque ab ipso aliquo fundamento vel coniectura probatur, nec videtur probabilitatem aliquam habere: tum quia affirmat rem valde supernaturalem & miraculosam absque vilo fundamento: tum etiam, quia omnes auctores, qui hoc genus causalitatis tribuunt sacramentis nouae legis, docent esse priuilegium proprium illorum, vt constat ex D. Thom. hic ad tertium & infra q. 70. art. 4. Alij vero, qui nec sacramentis nouae legis tribuunt hoc genus efficiendi, multo magis negabunt conuenire circumcisioni. Praeterea congruentia Diui Thomae est optima, quia sacramenta agunt in virtute Christi, & ideo non oportuit, vt prius daretur illis virtus efficiendi gratiam, quam Christus in humanitate sua illam haberet. Argumenta etiam alia, quae contra opinionem Scoti infra tractandam obijci solent & fortiori impugnant hanc sententiam, vt inferius videbimus, vbi alteram huius opinionis partem tractabimus, quae cum opinione Scoti coincidit.

Secunda opinio est Durandi in 4. d. 1. quae 5. 7. & 8. vbi aliter distinguit inter circumcisionem & remedium legis naturae: nam de circumcisione [inquit] contulisse gratiam ex opere operato eodem modo quo sacramenta nouae legis, scilicet vt conditionem, ad cuius praesentiam Deus operatur, & quoad hanc partem coincidit haec opinio cum opinione Scoti infra tractanda: de remedio autem legis naturae negat contulisse gratiam ex opere operato: quia existimat, non fuisse verum sacramentum. Vnde concludit, gratiam fuisse in illo remedio datam per modum meriti & suffragij totius Ecclesiae, quae fidem suam parauulo applicabat, eique remissionem peccati mereretur & impetrabat. Hanc opinionem indicauit etiam Alex. Alenf. 4. p. q. 5. memb. 3. & q. 7. memb. 5. art. 1. ad 2. Haec vero opinio mihi non probatur: nam primo differentia, quam constituit inter circumcisionem & sacramentum legis naturae nullo fundamento nititur: nam in superioribus ostendimus, circumcisionem ex vi suae institutionis non habuisse nouam aliquam virtutem sanctificandi, quam sacramentum legis naturae non haberet: sed solum habuisse determinationem talis caeremoniae. Et haec ratio habet etiam vim contra opinionem Palud. paulo antea impugnata. Secundo nititur duobus falsis fundamentis primum est, remedium legis naturae non fuisse sacramentum cuius oppositum supra ostendimus. Secundum est, tunc datam fuisse paruulis gratiam ex merito Ecclesiae, quod in primis ab illo non probatur, sed deducitur ex priori falso principio, scilicet quia tunc nullum fuit sacramentum. Deinde, inquiri an loquatur de merito de condigno, vel de congruo. Primum affirmari non potest, quia mereri alteri primam gratiam de condigno est proprium Christi, neque gratia creata in persona creata potest habere hanc vim ex natura sua. Quod autem illam habuerit in hoc speciali casu ex ordinatione diuina, ostendendum est aliqua reuelatione, vel autoritate, cum ex naturis rerum non colligatur, sed sit supra illas. Si autem dicatur fuisse meritum de congruo. Contra est primo, quia hoc solum non sufficit: quia per se non est infallibilis effectus huius meriti: gratia autem in illo remedio legis naturae infallibiliter dabatur. Quod si quis dicat, illi merito fuisse adiunctam promissionem diuinam. Primum oportet, vt illam ostendat: deinde posita tali promissione sub conditione talis operis habentis meritum & valorem ex sanctitate Ecclesiae, vix deerit aliquid ad meritum de condigno, quantum cadere potest in personam creatam respectu alterius. Praeterea, vel Durand. intelligit proprie & in rigore, illam gratiam datam esse paruulis propter meritum Ecclesiae tanquam proprium praemium respondens operibus Ecclesiae: vt propriae causae & veluti pretio,

*Secundo
respondetur,
circu-
cisio em
fuisse con-
ditionem
necessaria
ad remi-
sionem pec-
cati.*

*Durandus
rem. ed. in
legis natu-
ra non cen-
set esse sa-
cramento.*

Resiliens

pretio, quo (vt ita dicam) obtinebatur à Deo illa gratia. Ehc sensus videtur nimium falsus. Primo, quia hoc neque est necessarium, neque vlla ratione constat, neque est consentaneum meritis fundatis in gratia tantum creata, nec ordinariæ legi diuinæ, iuxta quam nullus meretur alteri infallibiliter primam gratiam sine proprio motu illius, nisi solus Christus, cuius meritum fuit semper propria & sufficientissima causa huius effectus, & ideo nulla ratione tribui potest merito Ecclesiæ.

Et confirmatur, quia alias etiam nunc posset effectus Baptismi tribui Ecclesiæ, hoc modo, nõ est enim nunc minus efficax meritum Ecclesiæ, quam in lege naturæ fuerit. Item, cur deficiente Baptismo, non posset nunc Ecclesiæ mereri, vt paruulo daretur gratia, applicando illi, vt posset fidem & meritum suum? Denique confirmatur, quia, vt iustificaretur paruulus in lege naturæ, non erat necessarium actuale meritum Ecclesiæ: fingamus enim nullum iustum actum operari tunc, quando paruulus offerrebat Deo per ministerium, & actionem parentis in peccato existentis, tunc enim sine dubio iustificaretur paruulus, & tamen nullum esset actuale meritum in Ecclesiæ. Quod si dicatur, sufficere merita præterita, permanentia in diuina acceptatione. Contra hoc est, quia sequitur illa merita fuisse sufficientia ad eundem effectum gratiæ paruulo obtinendum, absque illa actione seu oblatione parentis peccatoris, quia illa actio nullum addit meritum. Quod si tandem dicatur, illam actionem fuisse necessariam, vt applicationem meriti Ecclesiæ, seu vt actualem imperationem: Contra hoc est: quia iniquo, an illa actio fuerit necessaria ex institutione Ecclesiæ, vel ex institutione diuina. Si primum dicatur, sequitur primo, potuisse Ecclesiæ instituire, vt illa applicatio sui meriti poneretur per aliquam specialem actionem circa paruulum factam, sed vel per orationem sacerdotis, vel per sacrificium generale publicum, vel per quamcumque actionem externam virtutis, vt v. g. per elemosynam, vel per aliquid simile, quod videtur absurdum & præter communem sensum omnium. Sequitur deinde, illam actionem nihil aliud fuisse, quam conditionem, ad cuius præsentiam Deus conferebat gratiam propter meritum Ecclesiæ, quia ex sententia ipsius Durandi meritum Christi non aliter applicatur per actiones externas, quam vt per conditiones, quibus positus Deus confert gratiam: ergo reuera interueniebatur ibidem modus causalitatis ex opere operato, qui esse non poterat sine promissione diuina, solumque erit differentia in fundamento illius causalitatis: quia Durand. vult, illud esse meritum Ecclesiæ, cum tamen melius & rationabilius dicatur fundari in merito Christi. Atque idem argumentum fieri potest, si dicatur, illam actionem externam fuisse ex institutione diuina, vel multo magis, magisque fidei consentaneum est dicere, respexisse Deum in illa institutione, & promissione, ad meritum Christi, quã ad meritum Ecclesiæ. Quod si sensus Durandi non fuit dicere, meritum Ecclesiæ fuisse propriam rationem, & causam illius gratiæ, sed fuisse conditionem secundum legem ordinariam necessariam, vt conuenientiori modo applicaretur meritum Christi, talis sensus est minus improbabilis, tamen ille non excludit causalitatem sacramentalem, & ex opere operato, quia vt in superioribus dicebam ex August. epist. 23. etiam nunc per charitatem totius Ecclesiæ ad communionem fidelium paruuli adiunguntur, quia scilicet cum baptizantur, ministerio publico, & quasi in nomine totius Ecclesiæ offeruntur Deo, vt ipsi Ecclesiæ adiungantur. Ac deinde hoc ipsum non est simpliciter necessarium ad hunc effectum, nam si per impossibile nullus esset iustus in Ecclesiæ, & paruulo applicaretur Baptismus, haberet in illo suum effectum, & idem esset in lege naturæ, si similis casus per impossibile fingatur, vt recte notauit Paludanus dicta

quæstione 5. articulo 5. conclusio. 1. vbi recte & facile dissoluit rationes Durandi. Neque enim potest cum fundamento dici magis fuisse tunc necessariam ad iustificationem paruuli sanctitatem actualem vel habituales Ecclesiæ, quam nunc sit: Quia meritum Christi non erat tunc minus sufficiens, aut magis indigens consortio meriti vel sanctitatis Ecclesiæ ad obtinendam gratiam paruulo, quam nunc sit, neque è contrario, meritum Ecclesiæ plus valebat tunc, quam nunc valet apud Deum. Atque ex his multo magis improbata relinquitur opinio Bonauenturæ, in 4. distinct. 1. articulo 2. quæst. 1. ad 2. & Richar. articulo 5. quæst. 1. & 2. dicentium in lege naturæ non fuisse datam gratiam paruulo ex opere operato, quia solum dabatur ex merito de congruo parentis: contra hanc enim opinionem multo magis vrgent omnia dicta contra Durandum.

Tertia igitur sententia, principalis est, circumcissionem, & sacramentum legis naturæ dedisse gratiam paruulis ex opere operato. Ita docet Scotus in 4. distinct. 1. quæst. 6. & 7. Gabr. quæst. 4. articulo 1. & quoad circumcissionem tenuit idem Alens. Durand. & Palud. supra. Et potest hæc sententia probari primo, quia titulus scriptura dicit de Baptismo. Nisi quis renatus fuerit, &c. ita de circumcissione dicit, Masculus, cuius præputium circumcisum non fuerit, &c. Quæ verba eundem reddunt sensum, & idem genus promissionis continent, vt Augustinus sæpe exposuit, vt supra vidimus. Propter quod idem Augustinus eodem modo loquitur vbique de circumcissione, quo de Baptismo. Vnde 6. contra Iulian. c. 3. dicit, per circumcissionem ablatum esse anime vitium & peccatum originale, & 15. de Ciuit. Dei, cap. 16. dicit, circumcissionem fuisse visibile regenerationis signum, & similia multa habet 3. contr. Iulian. ca. 18. & libr. 5. Hypognostic. circa medium dicit, circumcissionem liberasse paruulos à peccato, & infra eandem comparat cum Baptismo. Vnde libr. 4. de Baptismo capite 2. 4. dicit ex virtute, quam habuit circumcisio coniectare nos posse, quam virtutem habeat Baptismus, & infra Cur (inquit) præceptum est Abrahæ, vt paruulos circumcideret, nisi quia ipsum sacramentum per se ipsum multum valet? Quæ verba æquivalent his, quibus Theologi vtuntur, sacramentum habere vim ex opere operato. Præterea Bern. serm. 2. de Assumptione virginis: In Baptismate (inquit) sola gratia lauat hanc maculam, scilicet originalem, Quam olim ruit perra circumcissionis. Atque idem videntur sentire Gregorius, Beda, Rupertus, dum aiunt, circumcissionem esse institutam, ad tollendum originale peccatum, quorum testimonia supra retuli disp. 5. sect. 1.

Secundo argumentor ratione, quia nullum videtur posse excogitari medium inter modum dandi gratiam ex opere operantis & ex opere operato, sed paruulis non dabatur gratia in lege naturæ, & veteri, ex opere operantis, vt constat, quia in eis nullum erat meritum vel dispositio: ergo ex opere operato. Maior patet, primo, quia illi duo modi sunt contradictorie oppositi, nam cum gratia semper data sit ratione alicuius operis, quandocumque non datur propter opus ipsius operantis, necesse est vt detur propter opus operatum. Secundo, quia posito tali opere nullo expectato actu ipsius paruuli, dabatur ei gratia: ergo dabatur ratione talis operis operati. Denique in opinione Scoti, vel Durandi videtur necessario hoc sequi: quia ad opus operatum solum requirunt, quod opus sit, vel conditio, qua posita, infallibiliter detur gratia, vel dispositio externa habens semper gratiam coniunctam ex ordinatione diuina, vtrumque enim ita conuenit circumcissioni, sicut nostris sacramentis. Atque idem videtur sequi in quacumque opinione, quæ solum tribuit nostris sacramentis causalitatem moralem, & illam censet esse sufficientem ad opus operatum. Nam ostendimus, hanc causalitatem moralem non transcendere

Tertia sententia,

rationem signi, vel conditionis : ergo conuenit circumfisioni, erat enim veluti sigillum diuinum, aut quali publicum instrumentum continens D E I pactum vel promissionem, quod in re exhibitum, vel quali representatum D E O, eum mouebat, & suo modo obligabat ad gratiam conferendam. Vnde sumi potest noua confirmatio, quia circumfisiæ erat causa moralis gratiæ : ergo in suo genere absolute conferrebat gratiam, quia vnicuique cause potest effectus attribui : ergo dabat illam ex opere operato, quia omnis causa operatur suo modo & visua, & hoc est in sacramento conferre gratiam ex opere operato.

Quapropter Cano dicta refectione de sacramento in genere, part. 5. negat, solam circumfisionem externam fuisse sufficientem conditionem vt daretur gratia sine fide ministri. Sed hoc in primis fallum est, vt supra ostendimus, & deinde non euacuat difficultatem, quia inde solum sic, circumfisionem externam, non se sola, sed simul cum fide ministri contulisse gratiam, ex quo non fit, ipsam non dedisse gratiam ex opere operato, sed potius potest colligi contrarium, quia ex illa simul cum fide ministri componebatur iuxta hanc sententiam vna moralis causa infegra gratiæ puero collata, sicut in nostris sacramentis, quamuis sola materia non conferat gratiam sine forma, non propterea negabimus conferre illam ex opere operato, quia simul cum forma componit vnum sacramentum, quod habet hanc vim. Quod si Cano contendat, illum effectum nullo modo esse tribuendum circumfisioni, aut sacramento externo, sed soli fidei, non loquitur consequenter, quia tam necessaria conditio erat sacramentum externum, sicut fides interna, & ipsi fidei internæ non potest tribui effectus, vt cause meritorie aut dispositiue, sed vt conditioni necessariæ, aut cause morali applicanti meritum Christi : vnde de ipsa fide redit eadem difficultas, quæ locum habet etiam in ea opinione, quæ negat in lege nature fuisse necessarium sacramentum externum, sed sufficere fidem internam ad iustificationem paruulorum. Nam de illa fide redibit eadem quæstio, an contulerit gratiam ex opere operato, quandoquidem non dabat illam ex opere operantis, & alioqui, posita illa fide, infallibiliter statim dabatur gratia.

Quid alij
respondent.

Quapropter alij Thomistæ confugiunt ad efficientiam physicam, asserentes eam esse necessariam, vt dicatur sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quia nisi sacramentum physice efficiat, ipsum non conferre gratiam, licet Deus conferat ad præsentiam eius, ergo neque ex opere operantis, neque ex opere operato illam dabit. Et quidem ratio D. Thom. hic in solutione ad tertium, & infra quæst. 70. arti. 4. qua probat, circumfisionem non dedisse gratiam ex opere operato, solum probat, non fuisse instrumentum physicum, quia non potuit in hoc genere causalitatis coniungi Christo, antequam incarnaretur, quia causa efficiens supponit eius existentiam. Sed contra hanc responsionem obstat. Primo, quia opinio illa de causalitate physica est valde incerta, & ad hominum sanctificationem non multum referens, dummodo illis detur gratia ad præsentiam sacramentorum. Vnde non videtur credibile, ex ea pendere doctrinam de inefficacia sacramentorum veteris legis ad dandam gratiam, nec solum de causa dicta est egea, & infirma, quod illam physice non darent. Præterea, quia vt sacramentum dicatur conferre aliquid ex opere operato, sufficit causalitas moralis, vt patet de remissione totius peenæ, in Baptismo, & de alijs effectibus sacramentalibus supra tractatis. Sacrificium etiam habet effectum ex opere operato, quamuis non habeat causalitatem physicam, vt suo loco videbimus : ergo idem esse potuit de circumfisione, & sacramento legis nature.

Quarta
sententia

Quarta sententia est, illa sacramenta non dedisse

gratiam ex opere operato. Hæc est opinio D. Thom. hic ad 3. & dicta quæst. 70. arti. 4. & in 4. dist. 1. quæst. 2. arti. 4. & 6. licet illic obcurius loquatur. Eandem opinionem defendit late Soto in 4. dist. 2. quæstion. 1. arti. 4. Ledesma, hic, Cano, & Bellar. locis supra citatis. Quæ sententia potissimum fundari solet in generali doctrina de efficacia legis antiquæ ad dandam gratiam quam scilicet. seq. confirmabimus. Sed præcipue adduci solet contra Scotum decretum Eugenij III. in Concil. Flor. dicentis, sacramenta nouæ legis multum à sacramentis antiquæ legis differre, quia non solum continent gratiam, eamque digne suscipientibus conferunt, illa vero non cauabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant. Ad quam definitionem Scotus & alij respondent sub illa non comprehendit circumfisionem, quia hæc non fuit sacramentum antiquæ legis, sed ante legem, non enim ex Moyse fuit, sed ex Patribus, vt dicitur Ioan. 7. Sed hæc responsio nullo modo probanda videtur. Primo, quia Pontifex ibi loquutus est eo sensu, quo sancti Patres communiter loquuntur de sacramentis veteris legis, quancumque autem scriptura, vel Sancti generatim loquuntur de illis sacramentis, comprehendit circumfisionem, quia erat profectio illius legis, & veluti ianua ad alia sacramenta, & quartus paulo ante legem fuerit instituta, fuit tamen quedam illius inchoatio, & quasi præparatio ad illam, vnde cum illa durauit, & cum illa etiam cessauit. Quare quod ait Paulus ad Hebræos 7. (Reprobatio fit præcedentis mandati) non minus de circumfisione, quam de cæteris mandatis intelligitur, ergo ratio etiam quam subdit, scilicet, Propter infirmitatem eius, & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit lex, etiam circumfisionem comprehendit, ergo quancumque sacramenta dicuntur infirma & inutilia, sub eis intelligitur circumfisiō: nam de illa etiam verum est, quod ad Hebræos 10. dicit Paulus. Vnquam habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, nunquam accedentes perfectos facere potest. Quin potius Paulus in Epistola ad Romanos & ad Galatas, in quibus de inefficacia veteris legis ad iustificandum, & de cessatione legalium potissime disputat, præcipue sermonem habet de circumfisione. Imo quodammodo ad eam, totam disputationem reuocat, quoniam illa erat, veluti fundamentum totius legis, vnde de illa concludit ad Gal. 5. State & nolite iterum iugo seruitutis contineri, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Sub iugo ergo seruitutis circumfisionem comprehendit. Atque idem est de cæteris locutionibus similibus. Cum ergo Eugenius nihil aliud in illo Decreto tradat, quam quod ex doctrina Pauli colligitur, consequens est, ipsum in generali illa doctrina circumfisionem comprehendere. Et confirmatur, quia alias nec sufficientem doctrinam, nec satis vniuersalem differentiam sacramentorum tradidisset, licet, quando Conc. Trident. sess. 7. canone 2. definit in hæc verba. Si quis dixerit, ea ipsa nouæ legis sacramenta à sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi, anathema sit. Sub hac definitione sine dubio comprehendit circumfisionem, quia intendit vniuersalem ac sufficientem doctrinam tradere : comprehenditur ergo circumfisiō sub sacramentis antiquæ legis.

Alij ergo respondent, esse differentiam inter Baptisum & circumfisionem, quod Baptisum dat gratiam, & aperit ianuam regni cælorum : circumfisiō vero, licet gratiam daret, non tamen sufficientem ad introducendum in regnum cælorum. Sed hæc differentia, licet in vero sensu vera sit, eam enim tradit Innoc. in cap. Majores, de Baptismo : & significata creditur Lucæ tertio, quando, baptizato Christo, apertum est cælum, vt indicaretur, nobis esse per Baptisum apertendum : nihilominus parum refert ad rem præsentem explicandam aut verificandam

Probat
difficiliter
causa, in
difficiliter
causa, in
difficiliter

dam doctrinam Concilium Florentinum. Primo quidem, quia illa differentia non tam oritur ex causalitate sacramentorum, aut ex gratia ab eis collata, quam ex extrinseca causa: quia in vno tempore nondum erat satisfactum pro reatu totius humanæ naturæ: in alio vero iam est satisfactio oblata. Vnde Baptismus solum dicitur aperire ianuam regni: quia applicat fructum passionis Christi iam exhibitæ, per quam passionem aperta est ianua regni: per circumcissionem vero applicabatur fructus eiusdem passionis non exhibitæ, sed exhibendæ: est ergo illa differentia in tempore: & in extrinseca causa principali, non vero in proprio effectu gratiæ, & modo conferendi illum: cuius signum est, quia etiam Baptismus Christi prout instituitur & applicatus fuit ante passionem eius: non aperiens ianuam regni, & è contrario: circumcisio, vel sacramentum legis naturæ, eo tempore, quo potuit esse vtile post passionem Christi, etiam aperiens ianuam regni: hæc ergo differentia non satis est ad explicandam & verificandam Eugenij doctrinam, si re vera circumcisio fuit propria causa gratiæ. Sicut etiam vera est differentia inter Baptismum & circumcissionem, quod per Baptismum copiosior gratia datur, quam per circumcissionem, ut omnes Sancti & Theologi docent, propter perfectionem legis gratiæ. Tertia item differentia vera est, quod Baptismus remittit omnem culpam & penam: in circumcissione vero non remittebatur tota pena, ut D. Tho. supra docet: quia non erat regeneratio, sicut Baptismus. Tamen hæc differentia non sufficit ad doctrinam Concilij explicandam: quia in eo non dicitur, sacramenta vetera minorem gratiam contulisse, sed omnino nullam: cui contrarium est, dicere, contulisse minorem gratiam: quia minor gratia aliqua gratia est.

Quæstio
explorari
Eugenij
sententiam

Potest vero aliter hic locus explicari ex doctrina supra tradita, disputatione quinta: nimirum circumcissionem posse dupliciter considerari. Primo, ut sacramentum legis veteris: & hoc modo simpliciter verum esse, non magis habuisse virtutem ad conferendam gratiam, quam alia vetera sacramenta. Secundo, ut habeat convenientiam cum sacramento legis naturæ, & idem munus ad officium obtinebat simul cum propria institutione: & hoc modo habuisse eandem virtutem conferendi gratiam, quam habuit sacramentum legis naturæ: atque hoc sensu explicata prior responsio Scoti non videtur improbabilis. Nam Concilium non negat virtutem conferendi gratiam omnibus sacramentis, quæ fuerunt ante Incarnationem Christi: sed solum sacramentis veteris legis: ergo hæc definitio non obstat, quo minus sacramentum legis naturæ hanc virtutem habuerit, & consequenter etiam circumcisio, ut eam rationem participavit. Et potest hæc interpretatio suaderi: quia ex illa generali doctrina Concilij, quam ex Paulo supra deduximus, non solum colligitur, sacramenta vetera non dedisse gratiam, sed etiam in eis datam non fuisse, ut sequenti sectione ostendemus: ergo necesse est aliquo modo excipi circumcissionem ab illa generali doctrina: diximus enim supra, in ea datam fuisse gratiam: ergo saltem excipienda est, quatenus habebat vim sacramentis legis naturæ: ergo etiam si dicamus sub hac ratione, dedisse gratiam ex opere operato, non erit contra definitionem Concilij.

Quære non
fradmit-
tenda hæc
supplicatio

Sed hæc etiam quaestio, quamvis apparentior sit, non videtur probanda. Primo, quia licet Concilium loquatur de sacramentis veteris legis, tamen sub illis à fortiori comprehendisse videtur sacramenta legis naturæ. Primo quidem, quia in ea differentia intendit docere propriam excellentiam sacramentorum nouæ legis supra omnia antiqua sacramenta: ergo non tantum illa præferi sacramentis veteribus, sed multo magis antiquioribus sacramentis. Secundo, quia ex parte ipsarum legum, scilicet veteris, & na-

turæ, hoc ipsum à fortiori colligitur: quia status legis naturæ secundum id, quod erat proprium eius, improprieior fuit, quam status legis scriptæ: quia Deus paulatim processit perducendo homines ab imperfecto ad perfectum: ergo si sacramenta vetera non habebant vim iustificandi, multo magis nec sacramenta legis naturæ. Alioqui posset quis dicere, fuisse in lege naturæ multa sacramenta iustificantia: quod sane esset contra sanam doctrinam. Vnde quod Paulus ubique negat legem iustificasse: quia si ex lege esset iustitia, gratis Christus mortuus esset: non solum habet verum in lege Scripta, sed etiam in lege naturæ, quia etiam gratis Christus mortuus esset, si lex illa vi sua posset iustificare: & ideo, si in utraque illarum legum aliqua gratia data fuit, semper fuit data intuitu Christi venturi, & ex fide & promissione eius, ut Paulus dicit: ergo sicut in hoc est eadem ratio utriusque legis, ita & in efficacia sacramentorum earundem legum ad iustificandum. Vnde argumentor tertio ex radice huius differentia: ideo enim sacramenta veteris legis, & circumcisio, quatenus fuit vnum ex illis, non potuerunt conferre gratiam ex opere operato, quia nondum erat pretium nostræ redemptionis exhibitum, à quo omnia sacramenta habent virtutem: sed hæc ratio pari modo habet locum in sacramentis legis naturæ. Ergo.

Quocirca, quamvis suppositis his, quæ in superioribus dicta sunt, quaestio hæc videatur ad modum loquendi pertinere, nihilominus hic modus loquendi magis probandus est, ut non simpliciter auferamus circumcissionem vel sacramentum legis naturæ contulisse gratiam ex opere operato, sed interdum in eis datam esse præter opus operantis, solum ob specialem necessitatem, cui diuina providentia non statuit aliter subuenire, quæ necessitas in parulis tantum accidebat. Probatur primo, quia hic modus loquendi est magis consentaneus modo loquendi Pauli: nupquam enim dixit, circumcissionem mundasse animam, sicut de Baptismo sæpe loquitur: cui etiam consentanea sunt alia locutiones Pauli supra citata. Secundo hic modus loquendi in rigore physico est magis proprius, quia illa sacramenta non fuerunt causæ physicæ gratiæ, ut dictum est, loquendo item de causalitate moralis, habet maiorem proprietatem, quod ita explico. Nunc enim Baptismus, verbi gratia, recte dicitur moraliter continere gratiam Christi, quia iam CHRISTVS illam promeruit & pretium illius persoluit, atque eam in tali sacramento moraliter reliquit: At vero de sacramento legis naturæ, vel circumcissione, non potest proprie dici gratia fuisse in eis moraliter contenta, quia nondum erat pretium illius gratiæ solum: vnde cum illa sacramenta tantum essent signa Christi, & meriti futuri, ex se non habebant, vnde gratiam moraliter continerent: ergo nec possunt proprie dici, moraliter dedisse gratiam ex opere operato: quia continere gratiam prius est, quam dare illam: & ideo Concilia, quando definiunt, nostra sacramenta conferre gratiam, addunt, illam continere. Paulus vero è contra, quando loquitur de iustitia quæ dabatur in lege, dicit, non fuisse ex lege, quia non continebatur in illa, sed ex promissione, quia respiciebat CHRISTVM venturum. Potest hæc ratio alio exemplo declarari: nam si constituamus hominem, qui ad obtinendam mercedem offerat testimonia earum rerum vel actionum, quas iam operatus est: alium vero, qui ostendat scripturam continentem promissionem futurorum laborum: merito dicemus prius instrumentum continere iam ipsum pretium, & moraliter esse efficax ad dandum illud, posterius vero esse de se inefficax, quamvis interdum ex aliqua speciali concessione possit pretium obtineri seu anticipari: ergo ad eundem modum philosophandum est de circumcissione & de Baptismo. Et in hoc sensu recte accommodatur

Quare non
sunt sacra-
menta di-
cuntur gra-
tiam con-
tinere, atque
qua deo
non iust.

ratig

ratio Et Thomae etiam ad causas morales: quia meritum Christi, antequam esset, solum poterat mouere ut prauius, & quasi per modum intentionis: sacramentum autem causat secundum virtutem, quam in re habet. Tertio à posteriori hoc colligimus ex eo, quod supra diximus, non omnibus, quibus applicabatur circumcisio, semper fuisse aliquam gratiam datam ultra eorum merita, quod etiam nobiscum Scotus admittit. Hinc autem recte colligimus, quando in ea dabatur gratia, non fuisse datam simpliciter ex opere operato ipsius circumcisionis: nam si hoc modo daret illam, utique omnibus daret, qui non ponent obicem: nam haec est ratio sacramenti ex opere operato gratiam conferentis: non ergo erat ipsum sacramentum operatum talis effectus, sed solum in paruulis propter necessitatem eorum, Deus illum effectum conferebat, non tam ex virtute sacramenti, quam suppleto inefficaciam eius. Atque hoc sensu explicari potest, ne apertum errorem contineat, quod dixit Cano, dicta relectione de sacramentis, parte quinta, in circumcisione datam esse gratiam paruulo ex sola misericordia & pacto Dei, in Baptismo vero ex iustitia & merito Christi: videri enim potest hoc esse falsum, quia si consideretur opus externum ipsius sacramenti, in utroque necessaria est promissio, & pactum Dei, ut in eo detur gratia ex certa lege: si autem effectus gratiae consideretur in ordine ad recipientem, utriusque datur ex misericordia diuina: si vero in ordine ad Christum vel meritum eius, in utroque data est gratia ex iustitia: nulla ergo videtur esse illa differentia. At vero iuxta dicta potest aliquo modo exponi: nam in Baptismo, & in quolibet sacramento nouae legis, intercessit absoluta institutio Christi fundata in rigoroso merito iam exhibito, ratione cuius voluit per haec sacramenta gratiam dare omnibus non ponentibus obicem: & ideo dicitur hic effectus esse proprie ex iustitia: at vero in sacramento legis naturae, vel circumcisione, nondum erat exhibitum Christi meritum, neque erat specialiter applicatum, ut in illis sacramentis daretur gratia, sed Deus ex sua misericordia hanc dari voluit paruulis sine sufficienti dispositione ex parte eorum propter specialem eorum necessitatem: & ideo licet illa gratia data fuerit propter meritum Christi prauius, atque ita ex iustitia, tamen quia proprie & specialiter data fuit ad subueniendum necessitati paruulorum, & ante meritum Christi exhibitum, ideo dicitur fuisse specialiter ex misericordia, & praeter id quod generaliter debitum erat imperfectioni illorum temporum ac legum.

*Ad argu-
mentum a ser-
uata senten-
tia respon-
detur.*

Ad fundamenta Scoti facilis est ex dictis responsio: nam Patres ibi citati solum intendunt quod praecedenti sectione dictum est, illud sacramentum fuisse remedium, in quo peccatum originale remittebatur, ut latius explicuit August. li. 2. de peccato originali, ca. 30. & sequen. Ad rationem vero respondetur, modum obtinendi gratiam ex opere operantis, & ex opere operato, proprie & in rigore loquendo, non esse immediate opposita: alius enim modus esse potest ex speciali priuilegio, ut infra dicemus agentes de martyrio: & ita in praesenti dici potest gratia data paruulis in his sacramentis speciali Dei prouidentia ac promissione ob necessitatem paruulorum: qui modus, si dicatur esse ex opere operato, vel ad modum operis operati, solum propter illam negationem, scilicet, quia non fuit ex proprio merito, vel dispositione operantis, non multum refert, dummodo effectus non tribuatur propriae virtuti & causalitati ipsius sacramenti.

SECTIO III.

Verum in aliis sacramentis veteris legis data fuerit gratia.
Non mouetur haec quaestio de sacramentis legis naturae: quia, eo tempore non arbitramur fuisse

alia praeter illud, quod fuit in remedium originis peccati: quod si forte aliqua alia fuerunt, idem iudicandum de illis erit, quod de sacramentis legis veteris. Duae igitur possunt esse de hac quaestione extremae sententiae. Prima est, in usu sacramentorum veteris legis nullam fuisse datam gratiam etiam ex merito operantium, quamquam iusti essent, & in charitate & ex charitate illa suscipere. Quae opinio tribuitur Magistro sentent. in 4. distinct. 1. in cuius sententiae confirmationem afferri possunt omnia testimonia scripturarum, in quibus sacramenta illius legis dicuntur egea, infirma, inutilia, & tamquam terrorea: quae non possent de illis recte dici, si saltem meritorie posset per illa gratia obtineri: & praecipue videtur fauere Paulus, qui ad Roman. 2. 3. & 4. negat, ex operibus legis fuisse homines iustificatos. Et confirmari potest haec opinio ratione: quia meritum de condigno non est sine promissione, sed usus illorum sacramentorum non erat facta gratiae promissio, sed solum retributio aliqua temporalis: & ideo ad Heb. 8. probat Paulus, Nouum testamentum esse perfectius veteri, quia melioribus re promissionibus sancitum est. Ergo in usu talium sacramentorum non erat meritum de condigno.

Secunda sententia extreme contraria est: in sacramentis antiquis datam fuisse gratiam, non solum ex merito operantis, sed etiam praeter illud. Ita sentit Hugo Victor. libro 1. de sacrament. part. 9. capite 1. & part. 11. capite 5. & part. 12. capite 4. & 12. & in sum. sentent. titu. 4. cap. 1. quibus locis etiam de sacramentis legis naturae loquitur, non tamen expresse declarat, in eis datam fuisse gratiam ultra meritum operantis, sed solum dicit, illa sacramenta fuisse sanctificantia, & adiuantia ad obseruanda praepcepta. Idem sentit Alenf. 4. part. quaestio. 6. membr. 3. art. 2. vbi dicit, illa sacramenta non esse tantum instituta ad significandum, apertius Bonauent. in 4. distinct. 1. articulo 1. quaest. 5. vbi dicit, illa sacramenta dedisse gratiam ex opere operato: addit tamen, hoc habuisse illa sacramenta tantum per accidens, ratione huiusmodi: non autem per se: quia non habebant [inquit] hanc virtutem ex pacto seu promissione Dei, sicut habent sacramenta nouae legis. Sed vel ipsae quoque loquuntur de opere operato, vel repugnantia inuoluit in eis quae dicit: quia impossibile est in aliquo opere externo dari semper aliquam gratiam praeter meritum operantis, nisi intercedat pactio vel promissio diuina: unde enim potest huiusmodi effectus oriri, nisi ex voluntate Dei? hanc eandem sententiam partim limitat: partim clarius explicat Durand. in 4. distinctione quaestio. 5. distinguit enim duplicia sacramenta veteris legis: quaedam impropria, ut erant sacrificia quaedam, & oblationes, quae licet essent meritoriae ex opere operantis, tamen in eis non conferebatur specialis gratia: quia non suscipiebantur ut sacramenta. Alia vero erant sacramenta propria, quae per sacerdotes applicabantur fidelibus, & haec [inquit] quaedam ordinabantur ad effectum, ad quem non erat gratia necessaria: ut erant illa, quae solum ordinabantur ad legales expiationes: & de his etiam negat, contulisse aliquam gratiam, quia nec ratione effectus, nec ratione significationis, illam postulabant. Alia vero [inquit] erant sacramenta ordinata ad actus, qui sine gratia non possunt conuenienter exerceri, ut consecratio, seu ordinatio Pontificis & Sacerdotis: & de his dicit contulisse gratiam ex opere operato, & non adhibet aliam probationem, nisi quia Deus non deficit in necessariis. Alij etiam dixerunt, Matrimonium dedisse gratiam ex opere operato etiam in lege naturae, ut indicat Paludanus in quarto, distinctione prima, quaestio. 5. nume. 52. dicit enim fuisse sacramentum, & equiparat illud cum sacramentis ordinatis ad remissionem peccati: & ibidem ait, in illo statu fuisse etiam sacramentum Penitentiae contra actuale peccatum: de quo eodem modo

*Secunda
sententia
ex opposito
affirmat.*

modo loquitur, quo de remedio originalis peccati, Gulielm. etiam de Rubion. in quarto, diff. 14. dixit in lege veteri fuisse sacramentum Pœnitentiæ, remittens peccata actualia ex opere operato. Cui opinioni in primis fauere videntur loca scripturæ, in quibus promittitur remissio peccatorum hominib. vtentibus illis sacramentis, vt Leuitici 4. & 5. Deuterono. 6. & similiter per consecrationē dicebatur sacerdos sanctificari, Exod. 28. & 29. Leuitici 8. Vnde Aug. q. 84. in Leuiticum exponens illa verba Leuit. 20. Ego Dominus, qui sanctifico vos, ait, Quomodo Moyses sanctificat & Dominus? Moyses visibilib. sacramentis per ministerium suū, Dominus inuisibili gratia per Sp. S. vbi est totus fructus visibilium sacramentorum: nam sine ista sanctificatione inuisibilis gratia, visibilia sacramenta quid profunt? Atq; de eisdem sacramentis loquens q. 25. in Nume. inquit, Si per se ipsa attendantur nullo pacto possunt mederi: si a res ipsæ, quarum hæc sacramenta sunt, inquirantur, in eis inueniri poterit purgatio peccatorum: Quapropter 19. contra Faustum, c. 13. comparans nostra sacramenta cum illis, solum dicit, nostra esse, Virtute maiora & vtilitate meliora: sentit ergo, in eis fuisse aliquā virtutem, licet minorem. Et idem videtur etiam sensisse Athanasius oratione in illud, Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, post medium, dum ait, Tunc sanctificationem fuisse factam visibilibus figuris & sacramentis, ex parte vt pote ad vmbra, Ex parte, inquit, id est imperfecte, conferebantur. illa sacramenta aliquam gratiam, sed minorem, quam nostra. Denique huic sententiæ fauet Hieron. exponens Paul. ad Galat. 4. vocantem illa sacramenta egena & infirma, q; intelligendum esse dicit de illis sacramentis, prout iā cessauerunt post Christi mortem. Respondendum inquit infirma his esse, & egena elementa, qui ad ea post Euangelij gratiam reuertuntur in tantū n. nihil profunt cultorib. suis, vt ne hoc quidē exhibere valeant, quod antea præstiterant: sentit ergo, antea non fuisse egena & infirma, sed habuisse virtutem ad conferendam aliquam gratiam. Ratio pro hac sententia solum est diuina voluntas vel institutio, quæ ex dictis testimoniis colligitur. Congruentia vero esse potest, quia, quod Deus hoc beneficium contulerit illi populo, nihil derogat legi gratiæ, quia totū illud proniuebatur ex meritis Christi venturi in lege gratiæ, & semper reseruata erant maiora beneficia & gratiæ priuilegia pro hoc tempore: alioqui vero expeditabat, populum illum etiam specialiter iuuari ad portandum graue onus illius legis, & ad digne tractandas res diuinas: & cum ex illis esset Christus nasciturus, etiam oportebat propter ipsum specialiter sanctificari.

Quid in hac videndum.
Dico primo, In illis sacramentis veteris legis nullam fuisse datam gratiā ex opere operato. Ita D. Th. hic, & in 4. d. 1. q. 1. artic. 5. vbi communiter Theologi, Richard. Scotus, Gabriel, Soto: & Magistri sententiā facile potest in hunc modum exponi. Probatur autem primo ex nonnullis scripturæ locis. Primum est illud, supra tactum ad Galat. 4. Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa? Quem locum tractans Augusti. in expositione illius Epistolæ, non de sacramentis Iudaicis, sed de idolis Gentium, illum intelligit, & ea dicit vocari, infirma & egena elementa: aut certe ipsamet simplicia corpora elementaria, ex quibus mundus componitur, ac Solem & Lunam, & corpora cœlestia, quæ solebant Gentiles vt Deos adorare: scribit enim Paulus ad Galatas, qui Gentiles fuerant, quibus inquit. Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non sunt dij seruiebatis. cum ergo subdit: Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo seruire vultis? Per egena elementa intelligit, falsos Deos, quibus prius seruiebant. A qua expositione non multum discrepat Ambro. ibi: nam licet per elementa, Solem & Lunam intelligat, ta-

men seruire illis, dicit esse, illis abuti ad superstitiones temporum obseruationes, quas Gentiles colebant. Sed hæc expositio difficultatem habet, quia Galatæ non volebant iterum ad idololatriam reuerti, sed legem Moysis amplecti: ergo non conuertebantur ad infirma & egena elementa, id est, idola: ergo oportet intelligere caeremonias Mosaicæ, quas in principio capitis vocauerat elementa mundi huius, in illis verbis: Cum essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes: vocat n. elementa caeremonias illas, vel quia fuerunt initia quædam diuini cultus & religionis ac expressioris fidei: vel certe, quia omnes illæ consistebant in quibusdā rebus externis, vt in lauacris, &c. Quamquam ergo Galatæ prius fuissent idololatræ, non dicit eos iterum voluisse conuerti, ad egena elementa, id est, ad idola, sed ad quasdam res, quibus hoc erat commune cū idolis, quod erant res egena & infirmæ. Huic vero argumento tacite respondet Adamus defendens Augustini expositionem: per egena elementa, intelligi solem & lunam, ad quæ valebant conuerti Galatæ, non vt seruirent illis vt diis, sicut olim fecerant, sed vt per eorum cursum obseruarent Sabbathata, Neomenias & alias solemnitates legis, quæ secundum elementorum volumina, id est, astrorum reuelationes sumuntur & administrantur. Sed hæc interpretatio nimis coacta mihi videtur, quæquam enim demus, solem & lunam vocari infirma elementa, quod satis voluntarium est: tamen, quod obseruare cursum horum astrorum ad festa legis celebranda, sit seruire his elementis, valde violentum est. Paulus autem de his loquens elementis dicit, Quibus denuo seruire vultis, magis ergo probanda videtur expositio, quæ per egena elementa, sacramenta vetera intelligit, quam sequitur Tertul. lib. 5. con. Mar. ca. 4. & alij Patres statim cisandi. At vero alia ratione enueruari potest hoc testimonium, si intelligatur Paulum loqui de illis sacramentis nō prout fuere præcepta ante Christi aduentum, sed prout mortuus, atque mortifera post Christi passionem. Ita Hieronymus ibi interpretatur, & insinuat Chrysolomus ibidem, & clarius Theophyl. dicens, vocare Paulum infirma, & egena elementa: cultum eorum idololatriæ comparans, quia genus idololatriæ est illas caeremonias seu sacramenta, postquam abolita sunt, simul cum Euangelio introducere. Quæ expositio, quoad hunc locum attinet, est satis probabilis, quam etiam sequitur D. Thomas ibi & Anselmus, quamuis litteram, & contextum Pauli aliter exponat, quod nunc examinare non oportet, qui tamen etiam insinuat, eadem sacramenta potuisse antea dici infirma & egena, quia per se non valebant cultores iuuare, sed gratiæ auxilio egebant, quod etiam insinuant Chrysol. Theophyl. & D. Thomas: non dicerentur autem infirma & egena, si in eis gratia daretur, sicut non erat infirmum & egenum remedium legis naturæ, in quo originale peccatum debebatur. Hoc autem testimonium confirmari potest ex eadem Epistola ad Galat. cap. 2. & 3. vbi Paulus probat, illam legem non potuisse iustificare, quod etiam sæpe docet in Epistol. ad Rom. si autem in illis sacramentis data fuisset gratia, multum valuisset lex illa ad iustitiam comparadam. Sed neque hoc argumentum videtur conuincens: Paulus enim intendit, euertere Iudæorum errorem, qui putabant, sua sacramenta & caeremonias fuisse per se sufficientia ad iustitiam & salutem sine Christo & fide eius, vt late exponit Aug. Epi. 19. ad Hiero. ergo solum hoc sensu potest ex illis locis colligi, non fuisse in illis sacramentis datam iustitiam, scilicet, sine fide Christi, & hoc solum concludit illa ratio, qua Paul. vtitur, quia alias Christus gratis mortuus est: at vero q; in illis sacramentis data fuerit gratia in fide Christi, sicut in circumcissione, nec fauet Iudæorum errori, nec videtur esse cōtra hanc Paul. doctrinam, neque inde inferri potest, gratis Christum esse mor-

mortuum, ut per se constat. Neque etiam sequitur, illa sacramenta debuisse semper durare, sed potius sequitur, cessasse adueniente Christo, quem prefigurabant, & ad quem homines disponebant.

Sed quamquam hæc vera sint, nã propter has expositiones horum testimoniõrum, & aliorum similitu contra sententia non est hæresis nota ascienda, nihilominus in huiusmodi locis semper Paulus fuit huic sententiæ, extenuans & quasi in nihilum redigens virtutem illorum sacramentorum, & docens illam legem præceptis onerasse homines non tñ inuisse, & ideo ad R. 6. 3. dicit, per legem tñ datam esse cognitionem peccati, & c. 4. legem non iustitiam, sed iram operatã fuisse, & ad Galat. 3. Quid ergo lex? propter transgressionem posita est. Quæ loca tractans Aug. toto libro de Spirit. & litte. & lib. 1. de peccato. mer. & remissio. c. 71. & lib. 2. de pecca. origin. c. 25. & lib. 1. contra duas Epistolas Pelag. cap. 8. & lib. 3. cap. 4. docet, hanc fuisse diuinã providentiæ rationem, & prius homines præceptis oneraret, & sacramentis, quæ per se gratiã non conferrent, ut homines suam infirmitatem agnoscerent, ut gratioribus animis auctorem iustitiæ & legem gratiæ amplecterentur, & hac de causa dicit, interdum vocari à Paulo legem illam, legem mortis, aut, ministracionem mortis, aut, litteram occidentem, ad Roman. 7. 2. Cor. 3. & apud Ezechielem c. 20. vocari illa præcepta, (non bona) vnde, dicta Epistola 19. ad Hieronymum. Cur (inquit) non dicam præcepta illa veterum sacramentorum, nec bona esse, quia non eis homines iustificantur, vmbre enim sunt prænunciantes gratiam, quã iustificamur, nec tamẽ mala, quia dimittis præcepta sunt, temporibus performisq; congruentia? cum me adiuuet etiam prophetica sententia, quã dicit Deus; dedisse se illi populo præcepta non bona, forte enim propterea non dixit mala, sed tantum non bona, id est, non talia, ut illis homines boni fiant, aut sine illis boni non fiant: ad verificandas autem has locutiones, necesse est, ut in illis ceremoniis gratia daretur. Nam quacunque ratione comparatur gratia per modum operis operati, per illa sacramenta, seu in illis multum iuaretur homines ad illius legis obseruationem, & peccata vitanda, & fortasse hanc ob causam Io. 1. Lex à gratia condistinguitur dum dicitur, lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Confirmatur tandem hæc veritas ex Paul. ad Hebr. 7. dicente; Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem. Et prius vocauerat legem illam, legem mandati carnalis, significans ex se nõ habuisse spirituale fructum, qd explicat postea illis verbis; Propter infirmitatem eius, & inutilitatem. Quæ verba non possunt explicari, sicut alia similia adducta ex Epistola ad Galat. de tempore legis gratiæ, in quo lex vetus est reprobata, quia non dicit Paulus eam esse inutilem & infirmam, quia reprobata est, sed potius è contrario, esse reprobata, quia erat inutilis & infirma: erat ergo huiusmodi prius etiam, quam abrogaretur: explicat autem hanc infirmitatem & inutilitatem sequentibus verbis. Nihil n. ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris spei; per quam approximamus ad Deum, & c. 9. magis explicans hanc imperfectionem dicit de veteri testamento. Habuit quidẽ & prius iustificaciones culturae, id est, pertinentes ad cultum externum, & sanctum saculare, seu mundanum, ut textus Græcus habet, quod verbum, cũ obsecrum sit, varias habet interpretationes. Theodor. & Ambrosius intelligunt templi ipsũ dictũ esse, sanctũ mandatum, quod totius mundi figuram haberet. Chrys. & alij Græci intelligunt, idem templi dictum esse mundatum, quoad exteriorem partem eius, quia omnibus hominibus etiam secularibus ad illud patebat aditus. Anselm. vero existimat dictum esse mundatum, quia tota eius maiestas erat externa, & quodammodo ex his rebus confurgens, quæ

mundus in æstimatione habet, vt sunt, aurum, argentũ, lapides preciosi, & similia. Nec multum ab hac expositione discrepat D. Thom. qui dicit, vocari mundanum, quia solum erat corporale & externum & in eo diuina virtus gratiam non operabatur. Quæ expositio ad rem præsentem confirmandam conducit, sicut & illa, quam Caietanus addit, vocari mundanum, quia solum exigebat, externam iudiciam, quæ erat secundum iudicium hominum, & eodem modo dicere possumus, vocari mundanum, quia in eo per se non dabatur iustitia interior in oculis Dei, sed exterior in oculis mundi huius: vnde subdit Paul. inferius, iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis & in potibus, & in variis baptismatibus, & iustitiis carnis, vsq; ad tempus correctionis impositis. & infra; sanguis (inquit) hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat, ad emundationem carnis. Sentitigitur Paulus in omnib. illis sacrificiis, & ceremoniis, secundum se consideratis non fuisse datã gratiam, nec spirituales fructus, sed solum vmbra vmbra futurorum bonorum, vt dicit cap. 10.

Secundo principaliter probatur hæc veritas ex Patrum testimoniis. Chrysostomus Homil. 7. in ad Romanos dicit, Paulum tria ostendere in illa Epistola, primum, sine lege posse esse iustitiam. Secundum, quod ad nos spectat, per legem non potuisse comparari. Tertium, legem fidei non repugnare. Idem Homil. 14. ad Hebræos dicit, Sacerdotiã verus non potuisse prodesse, nec lætificare. Similia habet Ho. 13. in Iohannem & Basiliius libro de Spiritu sancto c. 14. Orige. lib. 2. contra Celsum. Irenæus li. 4. ca. 28. 32. & 34. Theodoretus lib. 7. ad Græcimum, Ambrosius 1. de sacrament. ca. 4. & 6. & libro de his, qui inuitantur, ca. 8. & 9. Cyprianus sermo. de circumcissione circa finem, dicens: in illis sacramentis tantum fuisse vmbra futurorum, a peritius Augustinus narratione in Pitulum 73. In initio differentiam constituens inter sacramenta vetera & noua, quod hæc dant salutem, illa tantum promittebant saluatorẽ, & tract. 41. in Iohannem circa medium. In veterib. (inquit) sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed tantum vmbra futurorum: & Eusebius Emif. Hom. de Transfiguratione in sabbar. post primam Domini. Quadragesi. distinguens tria tabernacula Synagoga, Ecclesiæ & Gloria. Primum (inquit) in vmbra fuit & figura. Secundum in figura est, & veritate. Tertium in veritate solum: in primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur, non enim sacramenta Ecclesiæ sicut sacramenta Synagoga, medicinam docent & ostendunt, sed ipsi potius sunt medicina & remissio peccatorũ. Ad hoc deniq; confirmandum valent omnia quæ supra de circumcissione adducta sunt, & præsertim definitio illa Concilij Florentini, in qua duæ partes ponderandæ sunt, altera negativa, in qua dicitur: Sacramenta vetera non causabant gratiã. Quæ absolute excludit omnẽ gratiã sacramentalem, siue magnã, siue parua, & omnem causalitatem simpliciter, siue physicam, siue moralem. Dicere vero quis possit per hanc propositionem negatiuam non excludi gratiã datam in ipsis sacramentis, ab eis tñ nõ causatam, & ideo expendenda est altera particula exclusiua, scilicet, Sed eam solũ per passionẽ Christi dandam figurabant: nam per hanc excluditur omnis gratia data in ipsis sacramentis per meritum recipientium, quia, si talis gratia daretur, eam sacramenta significarent: ergo non tñ essent signa prognostica gratiæ per Christũ dandæ, vt Cõcil. dicit. Tertio, ad hanc veritatem confirmandam nulla alia ratio afferri potest, nisi quia huiusmodi gratia danda in sacramento ad præsentiam externi operis, pendet ex diuina voluntate, & promissione, de qua nobis non constat, nisi per scripturas, vel doctrinam fidei: ergo cum ex his non colligatur promissio, sed

potius

potius contrarium, nullo modo afferenda est, maxime, cum nulla sit necessitas, & illa perfectio consentanea non sit imperfecti illius status & legis, ut ex haecenus dictis satis constat.

Iusti sacramenta videntur in lege veteri de condigno meritis augmentum gratia.

Dico secundo, homines iustos videntes illis sacrificijs vel sacramentis de condigno illis actibus, meruisse coram Deo gratia augmentum. Ita docent omnes Theologi supra citati, & est res certa: colligitur enim ex scripturis & principiis fidei, quia ibi concurrerant omnia necessaria ad huiusmodi meritum & augmentum gratia, nam ex parte operantium erat vera sanctitas & iustitia. Supponimus enim eo tempore fuisse multos homines vere iustos & gratos Deo. Quod est de fide certum, ut constat ex discursu veteris testamenti, & ad Hebræos 11. Lucae 1. & 2. Deinde ipsa opera ex obiecto erant bona, & grata Deo, quandoquidem ab ipso erant praecepta, & ad illius cultum & religionem pertinebant. Denique fieri poterat ex vera fide & charitate: ergo ex parte operantium & operum, nihil deerat ad meritum de condigno. Neque etiam ex parte Dei aliquid deesse poterat. Nam semper atque omni tempore, paratus fuit, mercedem retribuere bene operantibus, ut patet Isai. 56. Haec dicit Dominus eis, qui custodierint praecepta mea, & elegerint, quae ego volo, dabo illis in domo meae locum nominatissimum, nomen aeternum dabo eis, de quo premio dicit idem Isaias cap. 64. Oculum non vidit Deus absque te: quae preparasti expectantibus te, quod de premio gloriae explicat Paulus 1. ad Corinth. 2. & de eodem dicitur Sap. 11. Iusti autem in perpetuum viuent. & Ecclesiast. 18. Merces Domini manet in aeternum, de qua dictum est Abraham. Genes. 15. Merces tua magna nimis. Ac denique Paulus ad Hebræos 11. dicit de antiquis Patribus. Defuncti sunt, non acceptis repositionibus, sed à longe eas aspicientes. & infra. Qui enim hoc dicunt, significant se patriam inquirere, erat ergo etiam in eo statu pactum diuinum seu repositio sub conditione operum, quod si illis operibus, gloriam promererentur antiqui iusti, eadem ratione mererentur etiam gratia augmentum, quia post acquisitionem eius ad primam gloriam nullus meretur gloriam, nisi merendo eius, & gratia augmentum, & ideo de Abraham dicitur Iacobi 2. fuisse ex operibus iustificatum, quae verba de merito, de condigno, & de augmento iustitiae exposuit Conc. Trident. sessione 6. c. 10. ubi eodem modo exponit illud Ecclesiast. 18. Ne verearis vique ad mortem iustificari. Si ergo iusti antiqui, per opera iustificari amplius poterant: ergo et per sacramenta, vel sacrificia, quatenus erant quaedam religionis opera.

Respondetur ad argumenta prima.

Ad fundamenta primae sententiae, respondetur primo, ad illa loca scripturae, aliqua ex illis intelligi posse, de tempore post Christi mortem, ut dictum est, esse probabile de testimonio supra tractato ad Galatas quarto, atque idem videtur de verbis illis ad Philipenses tertio, ubi de eisdem caeremonijs legalibus tractans ait Paulus. Quae mihi fuerunt lucra haec arbitratus sum propter Christum detrimenta. & infra. Omnia detrimenta feci, & arbitror ut stercora, ut Christum, lucrificarem, & inueniar in illo, non habens eam iustitiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Christi. Quaedam vero intelligenda sunt de tempore legis scriptae, quando illa sacramenta vigeant, & illa dicuntur inutilia, & egena, quantum ad sacramentalem iustificationem praestandam, non vero quantum ad iustificationis augmentum ex merito, quod commune est omnibus bonis operibus, & non prouenit proprie ex virtute seu valore ipsorum operum exteriorum, sed ex interiori charitate & virtute. Dicit etiam possunt illa sacramenta tunc fuisse inutilia ad iustificandum, quocumque modo per sese, ac sine fide Christi, nam si aliquod meritum in usu illorum futurum erat, necessesse erat, ut in fide Christi fundaretur. Et hoc sensu intelligendum est, quod in locis citatis ex Epistola ad Romanos ait Paulus, Ex Franc. Suarez Tom. 3.

operibus legis neminem iustificari, scilicet virtute ipsorum operum, quatenus praecise à libero arbitrio fieri possunt, secus vero, ut à fide, & charitate procedunt. Nam hoc modo potius dicit Paulus eodem loco ad Romanos secundo. Factores legis iustificabuntur, & qui fecerit ea, viuet in illis, & haec ratione dicunt interdum Patres, homines illius temporis quatenus iusti erant, & merebantur coram Deo, ad nouum testamentum pertinuisse, quia per fidem Christo coniungebantur, & inde vim merendi accipiebant, atque eodem sensu aiunt, religionem Christianam ab initio fuisse, ut videre licet apud Eusebium libr. primo historiarum cap. 1. & Augustin. 1. retract. cap. 13.

Ad rationem pro illa opinione factam, iam ostensum est, in eo statu fuisse promissionem diuinam ad meritum de condigno sufficientem, quod vero Paulus ait, testamentum nouum melioribus repositionibus esse sancitum, existimo in hunc modum esse intelligendum, aliud enim est loqui de promissione quasi intrinseca ordini gratia & prouidentiae supernaturali, quae generalis fuit in omni tempore, & in omni statu humanae naturae, aliud vero de promissionibus propriis alicuius legis seu status. Promissio ergo primae gratiae conferendae homini sufficienter disposito per contritionem, & promissio gloriae conferendae homini grato, & promissio augmenti gratiae & gloriae dandae iustis in premium bonorum operum, quodammodo fuit intrinseca ordini gratiae, ut est sub perfecta ac sua prouidentia Dei supernaturali, & ita haec promissiones fuerunt tam in lege naturae, quam in lege scripta, nec constat nobis in lege scripta fuisse maiores, aut potiores, quam in lege naturae fuerint, quamuis fuerint clariore, magisque à fidelibus cognita. At vero propriae promissiones, quae additae sunt in veteri testamento, videntur fuisse tantum temporales, ut constat fere ex toto discursu illius legis, & exponit optime Augustinus toto libro de Spiritu & litter. & in enarration. in Ps. 72. & libr. contra Adimantum Manich. cap. 3. & 19. contra Faustum cap. 31. Quibus locis, ait in antiqua lege propter imperfectionem eius, & quia regnum caelorum longe distabat, factas esse promissiones temporales, non tamen esse omnino praetermissas spirituales, quae interdum in ipsis temporalibus figurabantur, interdum expressius fiebant, ut diximus. Et ideo dicebat Christus Phariseis Ioan. 5. Scrutamini scripturas, in quibus putatis vitam aeternam haberi, at vero in nouo testamento & generalis promissio gratiae & gloriae expressius facta est, adeo ut sub nomine Regni caelorum, non fuerit antea proposita, sed initio praedicationis noui testamenti, ut Augustinus supra notat. & 1. retract. cap. 22. & praeterea additae sunt multae promissiones spirituales abundantioris gratiae propriae huius status, in quo de temporalibus promissionibus fere nulla est mentio, sed veluti supponuntur haec temporalia bona ad iudicanda iustis: si illis aut necessaria aut utilia fuerint. Propter haec ergo causam merito dixit Paulus, Nouum testamentum in melioribus repositionibus esse sancitum.

Ad fundamenta secundae sententiae. Primo illa coniectura Durand. quod Deus non deficit in necessariis, nullus est momenti. Primo, quia non constat, sacerdotium Leuiticum & ministeria eius fuisse adeo perfecta, ut necessarium simpliciter fuerit illa in gratia perficere. Deinde quicquid de hoc sit, sufficiebat iustitia, quae per meritum & dispositionem operantis comparari poterat. Neque enim illa lex adeo perfecta fuit, ut oportuerit meliori & utiliori modo hominibus prouideri.

Ad testimonia vero scripturarum, in quibus promissiones quaedam continebantur, respondetur primum, multas ex illis non intelligi de interiori ac vera remissione culpae coram Deo, sed de legali quaedam remissione quoad aliquas penas, vel irregularitates legis, cuius signum esse potest, quod non in singulis

Ad argum. 2. sentent. respondetur.

singulis sacramentis, vel sacrificijs promittebatur remissio omnium peccatorum, sed quaedam peccata dicebantur tolli quibusdam sacrificijs, quaedam vero alijs, cum tamen in vera remissione culpe mortalis nunquam vna sine alia remittatur, & ideo Propheta alijs in locis, reiectis illis sacrificijs, interiori animi contritionem & commutationem requirebant ad consequendam veram remissionem peccatorum, & hoc ipsum significavit Paulus vocans omnes iustitias carnis. Secundo dicitur, illa sacrificia hominibus nondum iustificatis per contritionem potuisse valere ad remissionem peccatorum obtinendam per modum imperationis: Ad quod multum etiam iuuare poterat oratio sacerdotis, ad impetrandum scilicet à Deo auxilium & motum cordis, quo remitterentur peccata, vt docuit D. Th. 1. 2. quaest. 103. art. 2. & Cano 12. de locis, c. 13. ad 9. hominibus autem iam iustificatis prodesse poterant ad satis faciendum pro peccatis quoad temporales poenas, non quidem ex opere operato, vt videtur sensisse Alexander Alenf. m. 4. art. 3. sed ex opere operantis, vt recte docuit D. Tho. in 4. distinct. 1. quaest. 1. art. 5. quaestiu. 2. ad 2. & ex dictis satis constare potest. Atq; eodem modo exponenda sunt testimonia Sanctorum ibi citata, sufficienter enim intelliguntur de fructu ex opere operantis, neq; aliud probat congruentia ibi adducta.

Q V A E S T I O LXIII.

De effectu sacramentorum, qui est character in sex articulos diuisa.



EINDE considerandum est de alio effectu sacramentorum, qui est character.

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo, vtrum ex sacramentis causetur character aliquis in anima.

Secundo, quid sit ille character.

Tertio, cuius sit character.

Quarto, in quo sit, sicut in subiecto.

Quinto, vtrum insit indelebiliter.

Sexto, vtrum omnia sacramenta imprimant characterem.

ARTICVLVS I.

Verum sacramentum imprimat aliquem characterem in anima.

4. 1. q. 1. 214. q. 1. c.

1. p. q. 23. art. 3.

Lib. 2. circa prin. c. 3.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod sacramentum non imprimat aliquem characterem in anima. Character enim significare videtur quoddam signum distinctiuum. Sed distinctio membrorum Christi ab alijs, fit per aeternam praedestinationem, qua non ponit aliquid in praedestinato, sed solum in Deo praedestinate, vt in prima parte habitum est. Dicitur enim 2. Timot. 2. Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, nouit Dominus qui sunt eius. Ergo sacramenta non imprimunt characterem in anima.

2. Praeterea, character signum est distinctiuum, signum quod praeter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Nihil autem est in anima, quod aliquam speciem sensibus ingerat: Ergo videtur, quod in anima non imprimatur aliquis character per sacramenta.

3. Praeterea, sicut per sacramenta nouae legis distinguitur fidelis ab infideli, ita etiam per sacramenta veteris legis: sed sacramenta veteris legis, non imprimebant aliquem characterem in anima, vnde & dicuntur iustitiae carnis secundum apostolum ad Hebraeos 9. Ergo videtur, quod neq; sacramenta nouae legis imprimunt characterem.

SED contra est, quod apostolus dicit 2. ad Corinth. 1. Qui vnxit nos, Deus est. & qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Sed nihil aliud importat chara-

cter, quam quandam signationem. Ergo videtur, quod Deus per sacramenta nobis suum characterem imprimat.

RESPONDEO dicendum, quod sicut ex predictis patet sacramenta nouae legis, ad duo ordinantur, videlicet ad remedium contra peccata & ad perficiendum animam in his, quae pertinent ad cultum Dei, secundum ritum Christianae vitae. Quicunq; autem ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud consignari, sicut milites, qui ad scribentur ad militiam antiquitus, solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo cum homines per sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est, quod per ea fideles aliquo spirituali characterem insigniantur. Vnde Augustinus dicit in secundo contra Parmenianum. Si militiae characterem in corpore suo, non militans pauidus exhibuerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusa, & impetrata iam venia militare ceperit, numquid homine liberato atq; correcto character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? an forte minus harent sacramenta Christiana, quam corporalia haec nos?

AD primum ergo dicendum, quod fideles Christi ad primum quidem futurae gloriae deputantur, signaculo praedestinationis diuinae. Sed ad actus conuenientes praesentiae Ecclesiae deputantur quodam spirituali signaculo eis insignito, qui character nuncupatur.

AD secundum dicendum, quod character anima impressus, habet rationem signi, in quantum per sensibile sacramentum imprimitur, per hoc enim sicut aliquis esse baptismali characterem insignitus, quod est ablutus aqua sensibili. Nihilominus tamen character vel signaculum dici potest per quandam similitudinem, omne quod configurat alicui, vel distinguit ab alio, etiam si non sit sensibile, sicut Christus dicitur figuram vel characterem patris substantiae, secundum apostolum Hebr. 1.

AD tertium dicendum, quod sicut supra dictum est, sacramenta veteris legis non habebant in se spirituales virtutes, ad aliquem spirituales effectum operantem. Et ideo in illis sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character, sed sufficiebat ibi corporalis circumcisio, quam apostolus signaculum nominat, Rom. 4.

COMMENTARIVS.

TITULUS huius articuli, vt recte Caieta. notat, indefinite, prout sonat, intelligendus est: non enim de omnibus sacramentis vnuerfaliter, nec de aliquo in particulari ac definite quaestio proponitur, sed absolute & confuse de sacramentis nouae legis. Rursum oportet aduertere, nomine characteris significari, signum, seu sigillum, quo solet signari res aliqua, vel vt cognoscatur, & ab alijs distinguatur, quomodo solet signari feruus, aut ouis, characterem proprio domini sui, vel vt in pretio habeatur, quo modo signatur pecunia sigillo regio, vel vt ad aliud munus deputeur, quo modo milites characterem militari insigniuntur, & hoc modo accipitur in scriptura character Antichristi pro signo, quo ille sigillabit sectatores suos. Apocal. 13. 14. & sequentibus. Atq; in hac propria significatione accipi in praesenti constat, tam ex proprietate vocis, quam ex vsu omnium. Verum est vocem characteris communiter significare signum sensibile, quia haec vox primum est imposita ab hominibus, qui sensibilibus signis vtuntur. Hic vero sumitur pro signo seu characterem spirituali, quo signantur animae Christianae per Christi sacramenta.

Respondet ergo D. Thom. per sacramenta Christi imprimi in anima spirituales characteres. Quae conclusio in argumento. Sed contra, probat ex Paul. 2. ad Corinth. 1. dicente. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris: Quod testimo-